Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Brunet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

~~Elzeviers~~
~~L. 73.~~

KW 224
C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

CASPARI ZIEGLERI LIPSIENSIS

Circa

REGICIDIUM ANGLORUM EXERCITATIONES.

ACCEDIT

JACOBI SCHALLERI

DISSERTATIO

Ad

LOCA QUÆDAM MILTONI.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage

LUGD. BATAVORUM,
Apud JOHANNEM à SAMBIX.

cIↃ IↃ c LIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Mæcenati Eruditorum
Certiſsimo,

V I R O

Generoſa Nobilitate, Antiqua Proſapia, Magnificentia, Autoritate, Prudentia, Legationibus feliciter obitis, plurimiſque in Principem & Patriam meritis Illuſtri,

D. FRIDERICO à Metſch
in Reichenbach & Frieſen/

Ærario S.R.I. per Saxoniam Præfecto, Sereniſsimi Saxoniæ Electoris Conſiliario intimo, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici ſupremi Præſidi graviſsimo: Patrono & Promotori meo maximo,

dedico

*Generoſæ ipſius Magnificentiæ
Cliens perpetuus*

C. Z.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

MUltus adhuc de TE, MÆCENAS GENEROSISSIME, mihi ſermo inter Commilitones & Viros eruditos fuit, apud TE verò nullus. Illum obſervantia, quam TUÆ MAGNIFICENTIÆ debeo, & tot virtutum in TE conſpicuarum admiranda ſeges expreſſit: hunc modeſtia & ſacer quidam cultus cohibuit. Nempe idem ferè mihi contingit, quod in Sacris olim ſuis nonnunquam Gentilibus. Illi enim ad pulvinaria DEI, cujus nomen, quo potiſſimum delectaretur, ignorabant, anxii plura ſimul congerebant, & poſt tot curioſas dextrationes nihil intermittebant, quod ad placandum numen facere videbatur. Ego verò licet, quo potiſſimum delecteris ſive nomine ſive cultu, MAGNE SEMO, etiamnum ignorem, eamque potiſ-
ſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſimum ob cauſam adhuc tacuerim; hoc tamẽ non ignoro, omnem TE non tantùm πολυλογίαν ſed etiam κολασμὸν planè averſari. Quâ quidem in re non minùs admirandus es, quam in cæteris virtutibus. Cùm enim aliorum mentes ut plurimùm mutari cum Fortunâ ſoleant & converti; TUA tamen, quia ſupra omnia externa evecta eſt, ſemper manet eadem, nec alia à ſe fit, etiamſi totã, quanta poteſt eſſe maxima, fortunam intra ſe complectatur. Et verò nec ego obſequio graſſari, (quod ἀντὶ τοῦ κολακεύειν alicubi uſurpat Venuſinus Poëta) aut palpum facere didici, lingua autem mea tam parùm facunda, tamque aliena inſuper ab omni verborum περιεργίᾳ ſemper fuit; ut quibus TUUM nunc adorem GENIUM, non inveniam. Sanè divinam TUAM prudentiam cùm omnes admirentur, neſcio, quo pa-

ćto ſit, ut in ejus æſtimatione nemo ſibi ſatisfaciat, niſi qui malè judicat. Tute TIBI Bibliotheca es, ipſeque hoc totum, quod doceri poteſt: ut proinde nihil ſit, quod ab homine expectare poſſis, quod ipſe TIBI non præſtes. Cumque tātus in TE ſis, mirum non eſt, peccare in TE multos, qui, vel ſuo ingenio diffidentes, vel TUAM Magnitudinem non capientes, ea interdum proloquuntur, quæ tacere rectiùs potuiſſent. Non tamen aberraturum me confido, ſi TE PATRIS cognomento Filio dignâ appellatione compellem, atque illuſtri Tuo nomini, quod invidiæ quàm tutiſſimè opponi poteſt, ſacras faciam hasce Exercitationes. Dabis veniam, VIR GENEROSE, meæ huic audaciæ, quæ vel ideo liberiùs agit, quod TE, Eruditorum omnium PATREM, omnis jam diu ſtupuerit Saxonia, omnis quotidiè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tidie admiretur Germania, omnis
poſthac loquutura ſit Europa. Imò
propter Germanam illam, quâ
præter genium Seculi polles, inte-
gritatem & fidem, propter tam
præclaram Literarum cognitio-
nem, quâ omnem reliquam ad in-
vidiam usque ſuperas Nobilita-
tem, quaque propemodum homi-
nem exceſſiſti, propter tot felici-
ter obitarum Legationum ἀποτε-
λέσματα, totus aliquando in tuas
laudes excurret Terrarum orbis.
Nec enim taceri poteſt ejus Vi-
ri nomen, qui optimas artes ipſe
colit, cultores alios ſublevat, & in-
ſtar DEI alicujus bonus ipſe bonos
optat, imo facit. Patere enimvero,
MAGNE PATER, aut ſi eo nomine
meus eſſe renuis, MAGNE MÆ-
CENAS, patere, inquã, & me inter
eos eſſe, ut notum TIBI fiat, quan-
tus Nominis Tui Cultor, quantuſq;
beneficiorum æſtimator exiſtam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Ut enim fruges non bonitas ſoli tantùm gignit, ſed Solis etiam calor & aëris aliqua temperies elicit: ita ingenia & ſtudia non à natura ſolùm benè conſtitui, ſed veſtra etiam Procerum benignitate ſuſtentari & erigi volunt. Das autem & offers beneficia nō aliter, quàm arbor pomis gravida, quæ ramos demittit & quaſi invitat ad carpendum. Nemo eſt, quem non ſolo propè intuitu, tanquam Phœbus aliquis, Muſarum verus Dux & Præses lubentiorem reddas, quem non de amore Tuo erga ſtudia humanitatis penitùs ſecurum eſſe jubeas. Magni igitur mea intereſſe putavi, & induſtriam meam Tibi notam fieri, & memetipſum à Te non prorſus ignorari. Quo quidem nomine longiùs recedo ab illis, qui aut commendari velle aut probari probis, arrogantiam exiſtimant, quique vege-

tas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tas & ſupra vulgus erectas mentes ſuæ tantùm domui notas eſſe volunt. Belli enimvero homines! qui ipſi Eruditioni bellum ac humanitati indixerunt, ut ſoli ſapere viderentur. Nec ratione tamen illi, ſed magnorum hominum exemplis jugulandi ſunt, quos, tantum abeſt, in ſtudiis ſuis commendandis ſegnes aut verecundos fuiſſe, ut potiùs ultrò eadem mundo ſiſterent & offerrent. Obbrutuiſſe ſcilicet, aut ingenti faſtu polluta & corrupta mihi videntur eorum ingenia, qui nulla omninò cupiditate honeſtæ laúdis ardent, nec ullo gloriæ ſtudio trahuntur. Ego verò, uti ab inani laude & ſermonibus vulgi ſemper alienus fui: ita non nego, ea me ſtudioſè ſecutum, ex quibus vera gloria naſci poſſet. Quæ ipſa tamen ut cum autoritate TUA, tum benivolentia erga me mihi contingat, jamdiu in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

votis habeo. Inter vetera ſcitè dicta Criſpi Paſſieni hoc eſt: Malle ſe à Claudio beneficium, ab Auguſto judicium. Ego, VIR SUMME, à TE utrumque malo, quod & beneficiis Claudium, & judicio Auguſtum referas, Chriſtianâ verò fide & integritate utrumque ſuperes. Et beneficia quidem TUA quod expectem, vel ipſa me excuſatum dabit ἀνθρωπότης, quæ ſine Benefactoribus vel anxia eſt vel parùm civilis. Imò ipſæ ſe literæ ſine patrocinio ſummorum hominũ tueri vix poſſunt, & inſtituta quodammodo Magnatum ac voluntates ſequuntur. Judicium verò TUUM, ad quod prima hujus Seculi ingenia provocârunt, non expecto tantùm, ſed etiam poſtulo, ut, quantum à veræ prudentiæ tramite abſim, à Tanto, tamque cordato & ſupra ſeculi ineptias evecto Viro condoceſiam. Ut verò utrumque

aliquâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

aliquâ ratione demerear, quod unum poſſum, nomen Tuum, ſi non ad æternitatem, certè ex officio hîc præſcribo, in hoc triumphans, etiam exigua à TE non reſpui, & in Magnis conatum ſaltem laudari.

Vale certiſſimum ſeculi decus, & Munus, quod in ſe quidem moleſtiſſimum, ita tamen ſuſtinuiſti adhuc, ut quæcunque in re communi jam reſtant, aliud agendo ſuſtinere poſſe videaris, porrò etiam magno Reipubl. Literariæ Bono capeſſe.

Dabam Lipſiæ, ex Muſeo d. 4. Octob. Anni 1652.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

LECTOR BENIVOLE.

Biennium eſt & quod excurrit, cùm ego iſtum Commentarium ſtylo philoſophico ita abſolvi, ut Diſputationis publicæ commoda eſſet materia. Sed cùm iſthanc morarentur nonnullæ deinceps ex improviſo intervenientes occupatiunculæ, cœpi mecum cogitare, utrum ſatis tùtum eſſet, eum in lucem proferre, probè ſcil. gnarus, judicantium malignitati etiam præclaras meditationes exponi. Latuit interea temporis apud me, litavitque Nocti ac Silentio, non modeſtiam quidem cauſatus, non metum; ſed conſultius fortè ratus privatis amicorum manibus teri, quàm paſsim ac promiſcuè per ora hominum volitare. Non autem diu latuerat, & ecce Anglia tùm novum enitebatur portentum, librum videlicet JOANNIS MILTONI, *quem pro Rep. Anglicana Defenſioni Regiæ Cl. Salmaſii oppoſuit.*

Ille,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Ille, cum eo tempore ad Amicum ex Batavia transmiſſus eſſet, dici non poteſt, quàm avidè à pleriſque expetitus & perlectus fuerit, ut proinde mihi ejus tùm uſus ad unam vix integram dieculam concederetur. Ego cùm Titulum primùm inſpicerem, multa mihi argumentorum pondera, quibus liber iſte refertus eſſet, fingebam, jamque tandem Anglos cauſæ ſuæ bonitatem Mundo expoſuiſſe mihi perſuadebam, & propterea librum iſtum à me non actutùm devorari poſſe, ſanè dolebam. Ipſam autem præfationem legere nunc incipienti increſcebat ad quosvis Apices & Syllabas expectatio. Verborum apparatus, qui nihil omnino extraneum admiſcebat, ſed rem ipſam protinus declarabat, multum de Autoris ingenuitate promittebat, & neſcio quàm præceps & immaturum mihi in meis hiſce Exercitationibus judicium exprobrabat. Pergebam ergò, & meos, quos mihi nunc oſtendi credebam, er-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

rores tantùm non execrabar & deſpuebam, donec inciperet ὁ ὑπερασπιστὴς in Salmaſium acriùs, quàm deceret, invehi, ejus dicta veteratoriè pervertere, ſuggillare, è ſublimi deridere, conſequentiis ludere, & Sycophantæ perſonam ſtrenuè agere. Tum verò quid impoſterum mihi ab hoc Homine expectandum eſſet, quaſi per compendium didici. Quidnî verò didicerim? Facilè nobis ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν. Et ut Venatores cervum ex impreſſo veſtigio dinoverint: ita ego ex Scriptiuncula Virum, ex Defenſione Miltonum. Seculum enimverò hoc tam inficetum ac ſordidum eſt, ut in eo vix eruditus habeatur, qui non eruditos allatret, & tamen ubique verum iſtud evadit Varronis: Omnes videmur nobis eſſe belluli & feſtivi ſaperdæ, cùm ſimus κάπροι. *Salmaſii quidem, Viri aliàs ſtupendæ eruditionis, autoritas tanta mihi non eſt, ut cæco aſſenſu in ipſius dogmata eun-*

dum

dum eſſe cenſeam, nec tamen potui non iniquè ferre, cùm viderem, eum à Doctore quodam Vmbratico, audaci, imò inſano potiùs, qui aſſiduo convitio depudere didicit, & quem aliquis jure ponat fœcundâ in gente MenenI, tam petulanter tamque indignis modis tractari. Res agitur in conſpectu totius Mundi, coram quo, ſi quis probris & calumniis agere parteſque ſuas convitiis defendere velit, oppidò ſuſpicionem facit cauſæ jam penè deſperatæ. Rei dicebantur Angli patrati parricidii & nefandæ in Regem conſpirationis: divulgabatur id per univerſum mundum; & quia nemo erat, qui eos à dicto crimine liberaret, omnium, certè ſaniorum, in ſe concitabant odia, ex quibus judicia & verba interdum non usque adeò bona ſequebantur. Dum ergò facti hujus ſui rationem reddere, & ab iſto crimine purgari coram mundo vellent, annon rectius partibus ſuis conſuluiſſent, ſi modeſtè contradicendo defen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

defenſionem inſtituiſſent, nec tanto Calumniatori rem unquam commiſiſſent. Iam verò, in dictis S. Scripturæ interpolandis & enervandis, quantus artifex eſt Miltonus? Ieſuitis felicior, ipſo Diabolo audacior. Ita enim, ruptis quaſi pudoris ac verecundiæ repagulis, frontem omnem poſuit, ita in Scripturas involat, ut de ejus pietate, tam in Deum, quàm in Magiſtratum, actum jam & conclamatum videatur. Scripturas eſſe ad tempus adaptatas & variè intellectas, ita ut uno tempore ſecundùm currentem univerſalem ritum exponerentur, mutato ritu iterum ſententia mutaretur, *ſcripſit olim Cardinalis* Nicol. *Cuſanus* epiſt. 2. ad Bohemos. *& porro* Epiſt. 7. Non eſt mirum, ſi praxis Eccleſiæ uno tempore interpretatur Scripturam uno modo; alio tempore alio; nam intellectus currit cum praxi. *Appoſitè ſanè ad mentem & praxin Miltoni, qui Scripturis*

vim

vim faciendo omnem hæreticorum temeritatem ſupergreſſus eſt, ut vel hoc unicò Sycophantæ nomen egregiè meritus ſit. Digna ſunt cap. II. *&* III. *iſtius* Defenſionis, *quæ peculiari Examine ventilentur, non quod in illis aliquid inveniatur, quod* Lectori *negocium faceſſere poſſit, ſed ideò tantum, ut Scripturæ ſua conſtet autoritas & ab inſulſis Miltoni interpretamentis verus ejusdem ſenſus vindicetur. Talis ergò cùm ab initio ſtatim appareat Miltonus, totam* Parricidarum *cauſam miſerè prodit, ſuamque turpitudinem & vafritiem etiam inter populares ſuos deridendam propinat. Nec enim opus eſt, me quidem judice, in hunc athletam progredi ad ſcamma, cum ex primo ſtatim intuitu abundè conſtare poſſit, deſipere eum in* Politicis ληρωδῶς, *in ratione communi* παραδόξως, *in* Theologia ἀλογίστως. *Reliqua argumenta, quibus ſuam & ſuorum fucare opinatur nequitiam,*

quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

quæque tanto cum faſtu profert, talia ſunt pleraque omnia, ut in iis magnis conatibus magnas nugas agat. Nec enim nova ea ſunt, & nunquam antea audita, ſed tritiſſima, & ab omnibus Monarchomachis ad nauſeam repetita, lippis propterea & tonſoribus, etiam pueris à pedibus & clitellis, nota, ab omnibus autem Politicis jam diu proculcata & exploſa. Plurimorum & tantùm non omnium falſitas noſtris hisce Exercitationibus oſtenditur. Reliquorum oſtendi nullo negocio poſſet, ſi bonas horas in illis perdere & diutius in illis diſtineri nobis non eſſet dividia. Optima ſanè & ſpecioſiſſima ſunt illa, quæ ex Iure Anglorum particulari nectit; ſed & iſta talia non ſunt, quibuscum velis in tenebris micare. In iis tamen multum ſibi placet, & non communia tantùm Gentium inſtituta, ſed ipſam etiam divinam Legem ridet, ſollicitat, ſuggillat, interpolat, pervertit, inque his armis ſtrenuè acciſ-

ſat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſat. Καὶ γὰρ ὁ τῆς Πατρίδος αὐτοῦ καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρὸς. *Illa verò omnia ſi refutare prolubium fuerit, à Sycophanta dicta & prolata fuiſſe ante omnia meminiſſe oportet. Dici equidem de Miltoni libro optimè poteſt, quod à Cambdeno olim de ſimili Scotorum adverſus Reginam ſuam Commentario,* eum *nempe* ex Veteri jure, exemplis obſoletis & novis undiquaque quæſitis, imò & ex Calvini autoritate conſutum, aliaque multa continere, quæ tumultuantia ingenia contra Regiam Majeſtatem petulanter comminiſcuntur &c. *Vid. ejus* annales p. 208. *Sanè qualem Miltonus Regem Magnæ Britanniæ per cap. 6. 7. & 8. fingit, neſcio annon melioris conditionis ſint homines* βάναυσοι, σκωτοτόμοι, ἀποχειροβίωτοι, *& an quisquam horum cum regiâ fortunâ ſuam commutare velit. Regem paſsim appellat magiſtratum*

popu-

populi, poſſeque eum non minùs abiici aut puniri à populo, quàm quemvis popularem Magiſtratum. O blitomammal ἐκ μὲν σοι φρένας εἵλετο μητίετα ζεὺς. Vt impietati Britannorum quendam juſtitiæ colorem induat Φρηνοβλαβὴς & Φλήναφος Defenſor omnem tollit Monarchiam, omnem Ariſtocratiam, ſolam adſtruit & ubique Gentium adſtrui vult Democratiam. Quis ergò nunc inventis frugibus velit βαλανηφαγεῖν? Quis à Stagiritâ tot Rerump. arcana doceri velit, cum totius Politicæ compendium nunc Mundo ſiſtat nobile,hoc Regicidarum θρέμμα. Hoc ſc. tanquam πανχρήστῳ quodam Emplaſtro & diamalagmate ſtrumas vetuſtiorum & reduvias omnes lenire ſe poſſe putat & perſanare, ne dicam vulnera & carcinomata. Vt Reges in ordinem cogantur, purgamenta Vrbium & καθάρματα Civitatum ſceptra prendere jubet Miltonus, ipſiſque omnem deberi Majeſtatem modò non

dò non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

dò non ſuperciliosè aſſeverat. Quidni ergo Opifices & quoscunque de plebe homines, Terræ Filios, quibus modulus eſt vitæ culina, tanquam rerũ Dominos & felicitatis noſtræ auctores amplectamur & eosdem mundi quoque Monarchas φαντασιάζομεν. Diceres eum triſte aliquod bidental moviſſe aut patrios temeraſſe cineres, ita furit & ſævit Populi περίψημα καὶ ἀποφορὰς in Reges: ita abjectâ religione Sacramenti, calcato ſummi numinis metu & indignatione, jus manu ſibi dicundum adſtruit, regiamque prorſus intervertere nititur Majeſtatem. Dignus enimverò eſt, qui eò ablegetur, ubi curari poſſit, ne quid deterius ei ſit, quàm cui peſſimè eſt. Tàm frivolis enim pugnat non argumentis, ſed umbris, ſimulacris aut ſceletis quibusdam argumentorùm, in quibus λῆρος πολὺς καὶ φλυαρία, ut τὴν ἀμίδα poſcere non unis vicibus opus habeas. Interdum Andabatarum inſtar in aërem ferit, &

hoſtem

hoſtem ſibi fingit, quem non habet. Salmaſio autem tàm frigidè, ut plurimum, reſpondet, ut ſi elegantias verborum, quas maximè quærit, tollas, dubites, an quicquam futile magis aut ἕωλον *unquam audiveris aut legeris. Sed enim habeat ille ſibi res ſuas. Ego namque cum homine poſthac non congrediar, cui decretum eſt quâcunque de causâ* μῶμον ἀνάψαι. *Obtrectationem tamen, nec ſententiâ nec mente conſtarem, ſi animo demiſſo & abjectò ferrem, non profectò magis, quàm ſi umbram propriam gravari vellem, cùm in Sole incederem.*

Hoc à Tepeto, Lector Benivole, ut quando nunc in lucem prodeunt iſtæ meæ Exercitationes, in verbis & phraſibus examinandis ne nimium rigorem uſurpes. Stylum enim Philoſophicum, quem hîc adhibere placuit, ſimplicem eſſe & planum, nec vocabulorum adeò curioſum, ipſemet noſti. Βαρβαρίζειν *licet nonnunquam in cathedrâ philoſo-*

phicâ

phicâ, (cui laborem hunc deſtinatum fuiſſe antea diximus) dummodo de re conſtet, nec ipſi Latinitati vis fiat. Tarpas autem & Ariſtarchos exploratâ & delicatâ aure homines jubeo à lectione harum Exercitationum tantiſper abſtinere, donec inter ipſos de verâ Latinitate convenerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

QUò, quò impotentes ruitis, aut cur improbâ
Manu ſecurim ſtringitis?
Parumne terris atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Britanni ſanguinis?
Non ut vetuſti per nepotes altiùs
Regni poteſtas ſurgeret;
Securus aut Britannus ut terra & mari
Mercator alto degeret;
Sed ut, ſecundum vota vulgi mobilis,
Fulmenta lectum ſcanderent.
Neque hic lupis mos, aut feris leonibus,
Ducem interemtum tollere.
Cæcusne mentis error, an vis altior,
An culpa perſuaſit ſcelus?
Tacent: & ora pallor albus imbuit,
Pectusque Achivorum furor.
Sic eſt: acerba fata Brittones agunt,
Tergoque Nemeſis imminet,
Quando immerentis Regis in terrã cruor
Sacer nepotibus fluit.

Adjecit

M. FRIDERICUS RAPPOLTUS, in Acad. Lipſienſi Prof. Publ.

Cum

Cum BONO DEO!

F*Rugi hominem dici, non multum habet laudis in Rege: Fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt regiæ laudes, illa privata eſt.* Iſta ex aliorum quidem ſententiâ in genere de Principum vitâ & moribus olim ſcripſit Cicero *pro Dejotaro p.* 818. optimè etiam, niſi quod neſciam, utrum invida magis dicenda ſit Natura, quòd ejusmodi virtutes admodum raro conjunxerit, an magis incuſanda hominum progenies, quæ iſtis ſimul omnibus exornari non usquequaque velit. Tales enim viros non facilè reperiri, nec Reges quidem, qui tanto virtutis intervallo ſubditis antecedant, jam ſuo tempore deploravit Ariſt.l.7.polit.n.58. Adeoque fingere magis licet & optare ejusmodi Principem, quàm ſperare, eo præſertim ſeculo, quo

 opti-

optimus dicitur ille, qui ſine malitiâ virtuoſus, qui ſine vitio Remp. utcunque adminiſtrat. Ut enim verè ait Marcheſe Vïrgilio Malvezzi *in Tarquin. Superb.* p. 7. *La bontà de l Principato non conſiſte in un punto indiviſibile: Egli hà la ſua latitudine, ed è tanto depravato la natura humana, che ſi hà da ſtimare virtuoſo quello, che è ſenza vitio, ottimo quello, che non è cattivo. Non tutti gli huomini hanno il valore di Ciro, è ſe alcuni l'hanno, mancano dell' occaſioni da moſtrarlo &c.* Regnum ſc. heroicum, ſi uſpiam datur, eſt omnium præſtantiſsima adminiſtratio. Talemque heroicis virtutibus eminentem & divinum virum nominat Plato ſuâ quadam appellatione Philoſophum. Ex quo natum deinde illud pervulgatum: Tunc demum Reſp. beatas fore, ſi Philoſophi imperarent: Καὶ γὰρ τέχνη τὸ ἄρχειν ἐστὶν, οὐκ ἀξίωμα μόνον, καὶ τέχνη τεχνῶν πασῶν ἀνωτέρα, ut loquitur Chryſoſtomus in 2. Cor. 7. 3.

Politicorum verò axiomata, quibus informare volunt Principis animum, eo ipſo, quod bene multa ſint, ſatis oſtendunt, a nemine facilè obſervari poſſe ſimul omnia, niſi cui fortè præter genium ſeculi heroi naſci contigerit. Conceptus

ut

ut plurimùm ſunt & delineationes boni Principis in Ideâ fere obverſantis, nullibi verò exiſtentis, niſi fortè apud Selenitas aut in mundo Joviali. *Il dare precepti à Principi*, inquit idem Marchio p. 5. *per regnar bene hà non ſo che del vago, ma è faccioſo, preſſo che diſſi ſuperbo. Sono per la maggior parte idee; il loro eſſere è nell intelletto, fuori di quello non ſuſſiſtono; Sono forme deſiderate, è perch' è impoſſibile, non ottenute, &c.* Ut jam nihil dicam, quomodo libri ejusmodi, qui de Ratione ſtatus aut formanda Republica in particulari agunt truncis & ſtatuis (Hiſpanis *Eſtafermos*) ſimiles eſſe ſoleant, quas in haſtiludiis omnes lanceis impetunt, omnes feriunt, uti eleganter diſſerit Didacus Saavedra *in præfat. Symb. Politico-Chriſtian.*

Nihilominus tamen, quia Politicus Reſpublicas reſpicit Naturæ maximè convenientes, e. g. Monarchiam, quatenus ab excellentiſsimo & optimo ejus ſocietatis viro (non quidem ſimpliciter, ſed ut ferunt hominum mores) gubernatur, & propterea per præcepta ſua ſemper intendit efficere optimum, utut perſona quam erudire vult, non omnium capax, aut ad omnia ſatis idonea exiſtat: neceſſe eſt, ut

nihil quicquam intermittat eorum, quæ ad finem ſuum quoquomodo facere expertus eſt, adeoque ſufficit illi talem Principi præſcripſiſſe normam, juxta quam majeſtatem ſibi commiſſam aut ſumptam maximè venerandam, civeſque ſuos maximè beatos efficere poſsit. Det verò nunc operam Princeps, eoque quantum fieri poteſt, annitatur, ut omnia iſta ubique exequatur Politicorum monita, cultum ſanè & obedientiam apud ſubditos ſuos, quin & laudem apud exteros acquiret multò majorem, quò plura obſervaverit, minorem, quò pauciora.

Nec tamen illa ſine judicio adhiberi volunt, adeoque nec poteſt Princeps ſemper & ubique illis inhærere, ſed tum demum, quando non prohibetur per adverſam quandam populi indolem. Scilicet multum in hoc negocio ſibi transſcribit natura & ingenium hominis, quod in ipſis etiam ſocietatibus formandis & conſervandis attendi inprimis vult & examinari. Nec enim omnes Rerumpublicarum formæ quibuscunque ſocietatibus civilibus commodæ ſunt, nec illis etiam, quæ aut monarchicæ ſunt, aut oligarchicæ, omnia vel monarchica vel oligarchica præcepta applicare licet, cum

poſsit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

poſsit quidem populus e. g. aliquid oligarchicum pati, nec tamen omne, ut nec integram libertatem, prout jam olim notarunt Malvezzi *d. l p.* 138. Piccart. *in Polit. Ariſt. p.*442. Thom. Smith. *l.*1. *de Rep. Angl. c.*15. 17. *&c.* Quin & mores hominum, ipſaque adeo ingenia ſucceſſu temporum ita mutantur, ut à majoribus ſuis in alia omnia abeant poſteri, & prorſus contrariam interdum ineant vitæ rationem. Catonem minorem Cicero propterea conſulatu excidiſſe ait, quod diceret tanquam in Platonis Rep. non tanquam in Romuli fece ſententias. Plutarchus verò in vita Phocionis idem illi contigiſſe ſcribit, quod alieno tempore enatis fructibus. *Vt enim*, inquit, *hos ſpectamus non ſine gaudio & admiratione, neque tamen utimur: ſic mores Catonis ad antiqua virtutis exemplum compoſiti longo poſt tempore corruptâ jam & profligata vivendi honeſtate cum laudarentur & in magna eſſent gloria, nullo tamen erant uſui, quod virtutis ejus gravitas iſtis temporibus non congrueret.* Paulò ante idem Plutarchus inſtruit Politicum, qualem ſe præbere debeat in πολιτείᾳ ut & hæc nihil capiat detrimenti, & ille ſuam ubique obtineat autoritatem. Dignus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

locus, qui evolvatur & à principibus Viris legatur. Eum tamen hic adſcribere ſuperſedemus.

Hinc adeo fit, ut nec ſubditis ſuis ea quæ ſunt perfectè optima, ſemper & omnibus imperare ſine injuria poſsit majeſtas. Quia enim exactæ felicitatis civilis non omnes pariter capaces ſunt, tùm quod virtutem, tùm quod fortunæ bona concernit, ridiculum utiq; erit, & injuſtum exigere velle ea, quæ moraliter ſunt impoſsibilia. Atque adeo teneturMajeſtas nonnunquam permittere talia, quæ à tramite virtutis nonnihil declinant, ſaltem ut vitetur majus incommodum, aut quia ingeniorum imbecillitas capere tantam felicitatem non poſsit.

At verò ſunt è contrario quidam Principes, qui quidvis potiùs quàm imperare didicerunt, quique naturæ quadam lege à Majeſtate prohibentur; & ſunt tamen illi Principes! titulo imperantes, natura ſervi. Nempe hoc quoque vitiis hominum juſta debuit vindicta, ut naturalem imperantium & parentium conditionem nonnunquam commutaret, eosque qui obedire potius debuiſſent, reliquis omnibus turpi ſpectaculo non rarò anteponeret. Diceres tamen ex eo ſcenam mundi inſtructiſsimam, quæ, quandoquidem hiſtrio-

ſtrioniam agere hactenus non unis vicibus placuerit, etiam ſub externo Regis Schemate nonnunquam impurum aut ſtolidum occultare ſolet Agaſonem, qui verò, dum Regis, quam ſuſtinet, perſonam egregie mentiri ſtudet, ſuam multis modis interim prodit Aſinariam. Conf. Ariſtot. l. 5. pol. c. 10. n. 112. & l. 3. c. 12. n. 113.

Iſtud ego non fruſtra affirmare auſim, à Natura ipſa formari debere Principem, quæ ſi minus propitia alicui fuerit, fruſtra ſimulari omnem Majeſtatis ſpeciem, fruſtraque affectari vultuoſam iſtam autoritatem. Immo verò ut Plato diſputat in *Sapientia & Menone*, divinâ quadam ſorte, non ullâ humanâ lege bonos viros & civiles principes fieri, ſimilesque eſſe vatibus, qui divino furore correpti nihil eorum intelligunt, quæ loquuntur. Poëtam ſuum naſci volunt Poëtæ, Principem Politici. Et hi tamen perinde ut illi præceptis circumſcribunt totum illud Naturæ myſterium. Quod ſi vero ex illis Principem ſe fieri poſſe quis præſumpſerit, niſi talis penè jam natus fuerit, frangat Naturam oportet, ſibi ipſi ægrè faciat, & præter Genium ſuum alius à ſe ipſo fiat.

Obſervatum enim jam diu eſt, omnes eas virtutes, quæ Principi aliàs quàm maxime

 xime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ximè commendari & inculcari ſolent, ita ferè invicem devinctas, & communi quaſi vinculo connexas eſſe, ut prout alia atque alia defecerit, reliquarum nonnullæ tantum non riſui exponant majeſtatem, ſi præſertim affectatæ aut aſſumptæ fuerint. Sapienter iterum Malvezzi *in Tarquin.* p. 8. *Le coſe di queſto mondo ſono cadauna d'eſſe per così fatto modo compaginate, che da una ne ſeguita un' ultra. Chi leva un' anello da queſta catena, rompe la catena. In un Principe che habbia acquiſtata riputatione, la placidezza produce benivolenza, in un' altro, che ſia ſtolido, genera diſprezzo, perche manca l'anello della reputatione.*

Cum verò Majeſtas imperantium præcipuè ex iis virtutibus comparetur, quæ magis admirationem, quam amorem in animis ſubditorum excitant (licet ea demum perfecta cenſeatur majeſtas, quando dubitatur, magisne amentur an verò timeantur à ſuis civibus Imperantes) & verò in opinione hominum, non otioſa illa quidem, mentis tantùm ſobole, ſed tali, quæ verbis ſimul & factis conſpicua fit, vel maximè conſiſtat, unde & opinio reverenda de imperantium virtutibus, earumve affinibus, nonnullis definitur: dubium proinde

proinde nullum eſt, ſimulata ſæpe, apud prudentes etiam pro veris haberi, adeoque Principem, qui ſimulat, ſe probum eſſe, vitiaque ſua diſsimulat, ſæpe utiliter dignitatem ſuam tueri poſſe.

Quin imò, uti infirmitatem Regiarum virium celari, Majeſtatis intereſſe pronunciat Barclajus 3. *Argen.* ita non minus ejusdem intereſſe putamus, quasvis virtutes & quævis, quæ Majeſtatem pariunt, ſaltem ſimulari, ſiquidem reapſe oſtendi aut poſsideri nequeant. Interesse dico, decere autem & licere ſemper, nego. Qua ratione excuſari quodammodo poteſt Nicol. Machiavellus Vir ſæpe quidem improbi, ſed tamen magni ingenii, quando *in Principe c.* 15. 17. & 18. *& de Republ. c.* 9. virtutis ſimulationem, Religionisque externam tantùm ſpeciem Principi ſufficere docet, etſi reipſa vitiorum cœno idem ille multis modis fuerit immerſus. Sed enim ea à nobis hîc minime ſuadentur aut præcipiuntur, fieri tamen toto die audimus & dolemus. Interim *grave è ſenza dubbio il peſo che porta il Prencipe del Governo dello ſtato per la continua ſollecitudine, che è coſtretto di havere di conſervar, ſi l'affettione de' popoli, ſe vuol viver ſicure dalle ribellioni*

& dalle congiure, delle quali l'une ſono machine contra il dominio, & l'altre contra la vita di eſſo Prencipe uti loquitur Girolamo Frachetta *in Prencipe p.1.*

Atque iſta fere meditabar & has mecum digreſsiones faciebam, cum ſuperiore anno parricidium in Carolo primo Rege Magnæ Britanniæ commiſſum, nobis nunciaretur. Inquirenti enim in cauſas hujus impietatis, & delicta, quorum poſtulabatur Rex glorioſiſsimæ memoriæ, paulò altiùs repetenti, nihil tale occurrebat, quod deteſtando illi flagitio ullo modo occaſionem dare potuiſſet. Quærebam deinceps, utrum Genius Loci imperium monarchicum reſpueret, utrum ipſe Princeps inhabilis & indignus fuiſſet, qui Rei ſummam teneret, utrum Majeſtatem non iis, quæ requiruntur, virtutibus conſervaſſet, aliaque bene multa. Quorum tantum abeſt, ut unicum aliquod obſervare licuerit, ut potiùs contraria his omnia deprehenſa ſint, & adverſa. Profectò totus eo tempore obſtupeſcebat Mundus, neque recordari poterat tanti ſceleris ab ullo antea commiſsi, deſpuebatque ſeculi rabiem, cui præſentia ſemper tempora, ut loquitur Vopiſcus *in Saturnino*, cum enormi libertate diſplicebant.

Ecquis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Ecquis vero poſterorum credet, fuiſſe aliquando inter anteceſſores ſuos ejusmodi homines, tanti furoris & nequitiæ, qui Regem ipſum, nec peregrinum illum, ſed indigenam & in ſinu quaſi natum adoriri, in judicium vocare, condemnare, occidere, ima ſummis miſcere, nigrumque in candida vertere non erubuerint? Hoc verò ut ne neſciant poſteri, atque ut reliquæ ſimul Nationes habeant quod imitentur, in publicum producuntur nefaria execrandi Exempli documenta, variæ conquiruntur & univerſo mundo obtruduntur declarationes, & neſcio quæ crimina, quæ flagitia Regi glorioſiſsimo imputantur. Quid reliquum eſt, niſi ut exclamet Melicerta, periſſe Frontem de rebus?

Si enim dicendum, quod res eſt, Regem propterea occidi oportebat, ut Regnum illi cruentiſsimi Tyranni invadere, & novam quaſi ex arce dominationem inſtituere poſſent. Hoc ſc. erat iſtud delictum Caroli, quod Rex eſſet, & quia Rex erat, ideo Regem propter regnum tollebant, non verò, ut nunc fere perſuaſum volunt rudioribus, regnum propter Regem.

Quod ſi enim quis ulterius progredi velit, nihil ſanè inveniet in Rege hoc lau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

datiſsimo, quod tanti ſupplicii notam promereri ullo modo potuiſſet. Innocentià ſane & integritate vitæ nemini Principum unquam conceſsit; claruit autem virtutibus uſque adeo heroicis, ut in admirationem traheret etiam illos, qui humanitatem jam omnem exuerant, & velut incarnati Diaboli in ipſius Majeſtatem & vitam ſæviebant. Nempe hoc decuit Regem, ut virtutes tam illuſtres non oſtenderet ſine comite invidia, ſed quantò altiùs illæ radices egerant, tantò magis eidem expoſitæ eſſent, utque adeo, quàm nihil ex omni parte beatum ſit, novo exemplo comprobaretur.

Unicum tamen fuit, quod revera ILLI necem accerſiviſſe mihi perſuaſum habeo, non delictum id quidem (in quem enim delinquere poterat, niſi in Deum) aut ullum aliud vitium, quod vituperio eſſe potuiſſet, tale tamen, quocum Majeſtas admodum rarò, & forte nunquam ſine inſigni aliquo detrimento conſiſtit. Et erat id quidem nimia LENITAS. *Imperoche, ſe la clemenza foſſe ſoverchia, daria materia a i triſti d' infeſtare & ingiuriare i buoni. come forſe ſaria intervenuto ſotto l'imperio di Tito, ſe egli foſſe viuuto piu lungo tempo, & di conſpirare anco contra*

tra

tra di eſſo Prencipe, come intervenne a Nerva. notante Girolamo Frachetta in *Prencipe p.9.* Dixi ſupra, quibus virtutibus præcipue comparetur Majeſtas, quomodo eæ quaſi concatenatæ eſſe debeant, ut ſalva ſit & habeatur autoritas: addo nunc, eas pro ingenio populi ſuos admittere gradus, ſuamque propterea tenere latitudinem, ut ita, quatenus in genere præcipiuntur, non poſsint in puncto aliquo indiviſibili conſtitui.

Rex utique glorioſiſsimus, ſi iſtam ſuam clementiam inter alios manſuetiores populos & ſubditos exeruiſſet, nunquam fortè contemptui expoſita fuiſſet ejus Majeſtas; inter tam immanes verò & truculentos Britannos in vitium tracta fuit virtus, & quia connivere poterat Rex, turpe putabant illi, per indulgentiam iſtam non moliri ea, quibus tam inſignis patientia magis magisque exerceri poſſet. At enim, quid ſibi expectandum foret ab ejuſmodi Puritanis, (ita enim fere vocantur Eccleſiæ & Reipublicæ Anglicanæ Turbatores) à Jacobo Patre diſcere potuiſſet Filius hic Carolus: *Noli*, inquit ille in δώρῳ βασιλικῷ, pati, *præcipuos horum fanaticorum duces in Regno Angliæ morari, ſi pacem cupis & quietem. Niſi ſi*

forte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

fortè eos ad hoc ſervatos velis, ut patientiam tuam exerceant, ut quondam Philoſophum ſua exercitum habuit mala fœmina. Enimverò periculum aliquod ab his hominibus metuendum eſſe, præviderat Rex acutiſsimus, tale verò, quod præter patientiam, ipſam etiam Majeſtatem, quin vitam quoque Filii tandem ſollicitare & profanare poſſet, animo forte nunquam concepit. Nec concipere etiam quis poterat: Cum perduelles quidem & refractarii ſubditi nullibi fere deſint, Regicidæ etiam inter Hiſtoricos noti ſint aliquam multi, tales tamen qui Principem tam bonum, tam virtuoſum in carcerem primùm conjicere, deinde in jus vocare, poſt inauditum condemnare & infami tandem ſupplicio in publico ad ludibrium populi extructo pegmate afficere poſsint, tales, inquam, dari inter homines, ipſa Natura execretur.

Lenitatis iſtud, quod dixi, ſtudium, quam pernitioſum ſit Majeſtati, jamdiu in ſuo Meleandro, ſive Henrico Valleſio Rege Galliæ, obſervavit acutiſsimus Politicus Joh. Barclajus, quod ille, cum mitiſsimi ingenii Homo eſſet, non ſeculo, non hominum moribus æſtimatis, ita cæterorum fidei crediderit, ut ſibi credi par

eſſe,

eſſe, ex virtute ſentiebat. Sed illa deinde facilitas, illa indulgentia in Magnates, illa incauta in eos profuſio prodidit præcipuas imperii vires, aperuitque injuriis deſpectam dignitatem, uti prudenter originem rebellionis Guiſianæ explicat Cleobulus ſeu Villa Regius *l.* 3. *argen.* Et hic ipſe Meleander documentum reliquit mortalibus, quantumvis egregiam in Rege virtutem, niſi fortitudinis opinio accedat, poſſe contemni, nec fideliùs ullos Principes amari à populis, quàm qui timeri meruerint. *lib.* 2.

Utut ergo virtuoſus fuerit Princeps, utut omnia ea obſervaverit, quæ amorem ſibi apud ſubditos conciliare poſſunt, niſi ingenium eorundem ſimul probè cognitum habeat, ſuumque juxta illud temperare noverit, fruſtra illam obtinebit dignitatem. Timeri vult Majeſtas, non amari tantùm, & ita timeri ut ametur, ita amari ut timeatur, timeri autem magis ab his quàm ab illis. Et hoc eſt, quod ſupra dixi, in ſtatu publico tum conſtituendo, tum conſervando, ingenium & Naturam populi cognoviſſe, penè totum illud eſſe, ex quo Majeſtatis ratio ſumi & formari debeat. Quod verò quàm difficile ſit, tot hucuſque oſtendunt mutationes Rerumpublica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

blicarum totque Regnorum everſiones, Regumque cædes non unis vicibus perpetratæ.

Si quis verò in ejuſmodi tumultibus fato quoque ſuas adſcripſerit partes, ita tamen ut nec directori Deo, nec voluntati hominum aliquid deroget, eum ego non iniquis auribus audiendum cenſuerim. Cum enim, quicquid eſt & vivit in hoc mundo, ſuam quandam habeat periodum, etiam oppida, Reſp. Regna tali fere modo certis abſolvi terminis videmus, quæ tam mortalia eſſe neceſſum eſt, quàm eos, qui fecerunt. Ut hominibus ſingulis adoleſcentia ſua, robur, ſenecta, mors: ſic iſtis. Incipiunt, creſcunt, ſtant, florent, & omnia ideo, ut cadant. Et tu ſuperbum hodie Londinum aliquando non eris. imò niſi me omnes ſenſus, omniaque Politicorum axiomata fallunt, non adeo procul es ab interitu tuo. Iſta enim felicitas, quam contra Reges tuos experta hactenus es, ne ſubdola ſit, & obſtinatæ mentis miſerum fulcimentum, ego ſanè quam maximè vereor.

Sed enim, quomodo poſſunt Regum ſuorum & Magiſtratuum cultores exiſtere Britanni? cum jamdiu vitium ex repetitis Regicidiis contraxerit ea inſula, cumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

que adeo loci Genius fere ſemper iniquus fuerit Regum proſapiæ, ut, niſi per tot ſecula regium ibi obtinuiſſet imperium, dubitare quis poſſet, an non ea Reip. ſpecies præter naturam ſit introducta, & populo quaſi per vim illata. Hiſtoria Scotica in Regum ſuorum Albo quinquaginta exhibet, aut expulſos aut incarceratos, aut necatos. Angli à Guilielmò Conquæſtore, qui primus fuit inter Normannos tres numerant in carcere occiſos Edvardum II. Richardum II. & Henricum VI. tantò pejori quidem exemplo quantò majori nunc audaciâ & impietate Reges ſuos perſequuntur poſteri. Obſervatumque eſt, nomen JACOBI Regibus Scotiæ ſemper ferè infauſtum extitiſſe, cum quinque ejus nominis morte violentâ ordine perierint, quos recenſet *Petr. Matthæi in hiſt. H. 4. l. 6. n. 2.*

Quicquid tamen hujus ſit, nolumus nos tanti facinoris exempla nunc colligere, veterumque furioſas conſpirationes prolixis adeo verbis notare. Satis negocii nobis faceſſit execrandum hoc, quo Carolus I. affectus fuit, & nunquam expiandum ſupplicium, cui in tota antiquitate etiam inter Britannos vix ſimile invenies. Nec enim præſentia dum deſpuimus, tantum nobis

nobis reſtat ocii, ut in præterita quoque recurrere poſſit dolor, & in illis etiam hominum deplorare impietatem. Nobis certè tantum ſive indignationis ſive miſericordiæ expreſsit hodierna Anglorum nequitia, ut præteritorum omnium obliti, in præſentibus ſolummodo verſari, quantumque impietatis & injuſtitiæ in parricidio hoc contineatur, primis tantum apicibus in publico nunc oſtendere decreverimus.

EXERCITATIO I.

Carolus Primus Rex Magnæ Britanniæ bono titulo Regnum ſuum obtinuit.

IN multis imperiis, præſertim hodie univerſam Remp. ſuſtinet juſtus titulus Imperii, Electio aut Succeſsio, pacta aut Leges, & ejuſmodi plura; inprimis autem Majeſtas, quam ubi quis in Imperio ſemel obtinuerit, non facilè nutantes aut deſciſcentes habebit Subditos. Quidquid tamen hujus ſit, etiamſi Majeſtas, qualem ſupra deſcripſimus, in Imperante non uſquequaque inveniatur, ſufficit tamen, ut Subditus in officio cohibeatur, ſolus titulus,

lus, in omnibus aliarum rerum poſſeſsionibus rigoroſè examinari ſolitus.

De Regno Angliæ certum eſt, hæreditarium id fuiſſe ſupra mille abhinc annos. *Non reperire ſe, gentem hanc aliâ præterquam regiâ autoritate uſam eſſe*, *confitetur* Smith. l. 1. *de Regn. Angl.* c. 9. Mutatos quidem fuiſſe Dominos aliquoties non neſcimus, illos ipſos tamen hæreditarium hoc regnum voluiſſe, quamdiu obtinere poterant, fixumque adeo & immotum jus hoc ſucceſsionis in Regnantibus duraviſſe, nemo negabit opinor, niſi qui veritati hiſtoricæ vim facere velit. Non enim regni formam innovatam, ſed ſolos Dominos peregrinis nationibus ingruentibus alios factos conſtat. Romani Regibus, qui Britanniam antea tenuerant eripuerunt: Romanis Angli & Saxones, his Dani, Danis deinde iterum Saxones, poſtremo Saxonibus Normanni, qui duce Guilielmo Notho, cognomento Conquæſtore ita eam ſubjugarunt, ut illius poſteri nunc penè ſexcentos per annos regio titulo & poteſtate gubernarint. Vide Camden. in *Britan.* Buchanan. *Rer. Scot.* l. 2. p. 68. 69.

Et ipſe quidem Guilielmus regiam ſtatim poteſtatem, quam ſibi manu qnaſi fece-

fecerat, in devictos Britannos exercuit, notitiam deinceps Imperii ſeu Regni ſui conſignavit, Leges antiquas correxit, abrogavit, auxit, novis quibuſdam additis, quæ in rem præſentem magis facere videbantur, aliaque multa peregit, quæ non niſi ſummam poteſtatem in Imperante arguunt. Atque in his omnibus tam prudenter ſibi temperavit, ut *licet Victoris jura reipſa exerceret* (ſunt verba Franc. Baconi de Verulamio in hiſt. Henrici VII.) *ad Normannos ſc. ſuos remunerandos, verbo tamen abſtinuerit: neque hoc jure ſe regnum tenere unquam profeſſus ſit, ſed illud titulari quodam prætextu velaverit in Teſtamento & Deſignatione Eduardi Confeſſoris fundato.*

Verum enimverò, quocunque titulo Guilielmus ille Conquæſtor, regnum hoc acquiſiverit, ſive armis, uti Conquæſtoris nomen fere innuit, ſive beneficio conceſsionis à Cognato Eduardo Confeſſore per Teſtamentum factæ, uti volunt nonnulli, ſive utroque etiam modo, quia poſt perfectas Teſtamenti aut Donationis Tabulas, Invaſorem Haraldum ejicere opus habebat; Carolum tamen Primum bono titulo & jure ſucceſsionis illud tenuiſſe certò ſcimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Non opus eſt, ut prolixam hic ſubnotemus Genealogiam, quomodo ex Normannorum Gente poſt Guilielmum perpetuâ ſerie & ſucceſsionis jure regnum tenuerit, ſive Filius Regis defuncti, ſive Frater aut Agnatus, quiſquis ſanguine demortuum proxime attingeret. Lubet nunc tantùm in JACOBO Parente Caroli glorioſiſsimæ memoriæ obſervare ea, quæ ad præſens negocium faciunt, quæque Anglorum fidem valde ſubleſtam toti Terrarum Orbi exponunt.

Quanquam autem Stuartos, ex quorum familia JACOBVS & CAROLVS fuerunt, Danorum progeniem eſſe velit Jovius *in Scotia*; à Normannis tamen ſuam quoque hodie ducere originem facile intelliget, qui Jacobum Pronepotem Margarithæ Henrici VIII. Regis Angliæ Sororis in Tabula Genealogica perſpexerit. Hunc ergo Jacobum tum Regem Scotiæ, Eliſabetha Regina Angliæ, Henrici VIII. filia (*virili animo fœmina & ſeveriori quam iſtum ſexum deceret, literis & linguis variis inſtructa, regnandi verò adeo cupida, ut nunquam nupſerit, quò ſola regnaret*, notante Paulo Piaſecio *in Chron.* p. 32,) codicillis obſignatis Succeſſorem ſibi in Regno Angliæ deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

deſignaverat, quos deinceps Proceribus in Comitiis exhibuit Robertus Cecilius, ad hanc rem ab ea vivente peculiariter inſtructus.

Et poterat quidem Eliſabetha in Codicillis ſuis Succeſſorem omnino non nominare, quandoquidem Jacobo Sceptra jure dari oportebat. Quia tamen odium illud inter Anglos & Scotos capitale & hæreditarium non ignorabat, quod ex diuturnis & cruentis bellis primum enatum nullâ deinde Regum amicitiâ vel cognatione aut fœderum tabulis extingui potuit, & propterea ex Anglorum ſuorum ingenio eam ſibi conjecturam faciebat, difficulter recepturos eos Regem Scotum, ideo, ut tumultibus, quos poſt mortem metuebat, mederetur, ſimul ut ne longiùs, deficiente jam lineâ rectâ deſcendente, Rex quæreretur, maluit ſuam, dum in vivis eſſet, explicare ſententiam, quò ſe mortuâ Populus vel ob ſolum amorem erga defunctam non reſpueret, quem ipſa nominaſſet.

Nec omnino fefellit Eliſabetham conjectura. Quanquam enim Angli poſt ipſius mortem Jacobum, quem præterire omnino non poterant, plenis ſuffragiis Regem acclamarent, ut adeo lubenti animo

eum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

eum ſibi elegiſſe viderentur, cui tamen ſubjectos eſſe oportebat; Quanquam etiam Jacobus ipſe non ita multo poſt Londini Diadema Regium, jusjurandumque fidelitatis à Proceribus reciperet, mox tamen in Regis novelli necem conjuratio detecta eſt, orta ex innato Anglorum contra Scotos odio, quam refert Piaſecius *Chron. p.* 253. Ut verò Jacobus animos invicem abalienatos communi nomine ſociaret, & ſimul Scotos demulceret, aliter torvum viſuros, ſi ille in titulis Angliam Scotiæ anteponeret, hac maximè de cauſa REX MAGNÆ BRITANNIÆ dici inpoſterum voluit.

Et hæc quidem tempora non fruſtra præſagio ſuo illuſtravit Henricus VII. quod inſtar oraculi deinceps habitum eſt. *Traditur* enim (recito verba ſupra laudati Baconi de Verulamio p. 344.) *cum de Matrimonio* Jacobi IV. Scotiæ Regis & Margarithæ Filiæ Henrici primogenitæ *deliberaretur*, *Regem* Henricum *concilio ſuo ſanctiori negocium remiſiſſe. Quoſdam verò ex concilio uſos Conſiliariorum libertate, Rege tum præſente, ſuppoſuiſſe: Si duo Regis filii ſine hæredibus maſculis defuncti eſſent, Regnum Angliæ ad Lineam Scotiæ devolutum iri, quod*

Monar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Monarchiæ Anglorum præjudicio eſſe poſſit. Cui objectioni Rex ipſe, nihil moratus, reſpondit: Id ſi contigerit Scotiam Acceſſionis Angliæ futuram, non Angliam Scotiæ. Majus enim regnum minus ad ſe tracturum, &c.

Miror verò, quomodo tam audacter hodierni Angli aſſerere poſsint, *nullo pacto negare aliquem aut poſſe aut velle, primam regii muneris originem atque inſtitutionem apud Nationem hanc manaſſe ex unanimi conſenſu & convenientiâ populi, à quo conſentiente Rex electus eſt, &c.* cum tamen ipſimet nullo modo negare poſsint, per Guilielmum Conquæſtorem vi occupatam fuiſſe Angliam & ab eo longo deinceps tempore uſurpatam. Ita enim Cambdenus *in Brit.* de Normann. *Audax Francia Normannorum militiam experta delituit; ferox Anglia captiva ſuccubuit; dives Apulia ſortita refloruit; Hieroſolyma famoſa & inſignis Antiochia ſe utraque ſuppoſuit.* Nec opus eſt rem per ſe certam pluribus probare teſtimoniis. Quomodo verò captivus, cui libertas planè adſtricta eſt, Regem ſe elegiſſe gloriari poteſt, cui tamen, ſive velit ſive nolit, collum & cervicem ſubdere oportet? Ad hoc autem Guilielmo con-

tinua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tinua ſerie ad hunc Carolum uſque ſucceſſerunt Reges alii aliique, ut proinde falſum ſit, quod de Regno Electitio in initio ſtatim Declarationis ſuæ conceſſum volunt hodierni Angliæ Protectores. Quin ſi ad Jacobi tempora denuo reſpicere velimus, Acto Parlamenti, quod anno ejus primo celebratum eſt, talem ipſimet Angli fecêre titulum: *Lætiſſima & juſtiſſima Recognitio immediatè legitimæ & indubitatæ ſucceſſionis & juris Coronæ.* Sed quam mutata eſt Rerum facies! Ut flagitium aliquem juſtitiæ colorem imbibat, nihil non movetur, ipſaque ſi adverſa ſint, evertuntur & negantur principia.

Sed pergamus, & ipſos nunc ſupplicantes audiamus è Parlamento Senatores. In clauſula enim dicti Acti Regem Jacobum ita alloquuntur; *Atque illi ſubmittimus humillimè & fideliſſimè noſmet ipſos hæredes & poſteros in perpetuum, uſque ad extremam guttam ſanguinis noſtri exhauſtam; & obſecramus tuam Majeſtatem hoc accipere, ut primos fructus, in hac ſumma curia Tui Parlamenti, noſtri obſequii & fidei erga Majeſtatem Tuam, & regalem tuam progeniem & poſteritatem in æternum. Quod ſi Majeſtati Tuæ placuerit,*

cuerit, in argumentum gratioſæ Tuæ acceptationis, Majeſtatis Tuæ regalis aſſenſu condecorare, ſine quo neque plenum neque perfectum eſſe poteſt, neque perſeverare ad poſteritatem ſecundum humile noſtrum deſiderium, quaſi monumentum principalis & teneri tui affectus erga nos, addituri id ſumus reliquis tuis indicibilibus & inæſtimabilibus beneficiis &c.

Quis verò, ubi iſta talia legerit, non illicò fidem, quam Angli omnem exuerunt, magna voce inclamet? Laudat Britannos ſuos à fidelitate Cambdenus, quòd ob eam in Imperatorum ſatellitium quam ſæpiſſime adſciti fuerint. Sed ubi eſt nunc illa fides? illa fidelitas? aut quomodo extero Principi fideles eſſe poſſunt, qui in proprium Regem inſurgere non ducunt piaculo?

EXERCITATIO II.

Anglis libertatem jure meritoque concedimus, non tamen cyclopicam illam, ubi ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενὸς, ſed ſubjectione temperatam, hoc eſt talem, quæ nec legem eludit, nec Regem etiam excludit.

Orien-

ORientalium quidem ſervilia ingenia jugo magis aſſueta tyrannidem etiam facilius, quàm liberioris animi fructus ferunt. Unde & apud illos Principes Legibus fundamentalibus planè nullis adſtricti pro imperio cuncta fere exigunt & perpetrant, quò vel voluptatis illecebræ rapiunt, vel cæcæ Rationis impetus ducit. Apud Septentrionales verò libera & gravia Gentis ingenia modum Regnantium vitiis impoſuêre, atque adeo, ut libertatem iſtam ſuam obtinerent, Reges ſuos certis adſtrinxerunt Legibus, quibus ut actiones ſuas conformes reddant, etiamſi vi externa cogi non poſsint aut debeant, in interno tamen conſcientiæ foro, & vel propter ſolam honeſtatem obligentur.

Et libertatis quidem nomen, quam gratum populo eſſe ſoleat, Hiſtoriarum ubique oſtendunt monumenta. Cum Dion apud Syracuſanos quinquaginta annorum ſervitutem ſub Dionyſiorum Tyrannide expertos, ad reſtituendam libertatem ſe veniſſe profiteretur, brevi tempore maximum comparavit exercitum. Diodor. Sicul. *l.* 16. *c.* 11. Quam ipſam tamen libertatem ita temperatam volebant Syracuſani, ut Dionem ejuſque Fratrem Me-

gaclem Imperatores cum ſummâ poteſtate eligendos eſſe decernerent. Pari modo Piſani eo tempore, quo Carolus VIII. Galliæ Rex totam Italiam penè ſine cæde aut ſanguine ſubjugabat, Florentinorum regimen pertæſi, libertatem magno animi impetu quærebant, utque ejus compotes fierent, Regis Galliæ patrocinium & protectionem implorabant. Et quanquam iſtam ſtatûs publici mutationem ſeriò diſſuaderet Cardinalis di San Piero in Vincola, non poterat tamen non ad mentem & ſcopum Piſanorum idem ille dicere, *eſſere deſiderabile & precioſa coſa la libertà, & tale che meriti di ſottometterſi ad ogni pericolo, quando almeno in qualche parte s' hà ſperanza veriſimile di ſoſtenerla &c.* apud Guicciardin. *l.* 1. *pag.* 31. Nec negari poteſt, libertatem *cui aliquandiu populi aſſueverint, ſi quid eis imminuitur & carpitur, magnos plerumque motus excitare* Strada. *l.* 2. *p.* 55.

Viciſsim autem deploranda magis eſt, quàm ſuggillanda hominum ſimplicitas, quæ dum libertatis ſpecioſo nomine capitur, in carceres nonnunquam ſponte irruit, vinculisque & catenis ita adſtringitur, ut priſtinam ſibi ſæpè exoptet fortunam, & ſub novo onere ingemiſcat. Parricidæ

ricidæ ſanè illi apud Britannos, qui ſe Libertatis publicæ Cuſtodes affectato nomine in actis publicis vocari poſtularunt, quid aliud per commiſſum flagitium effecerunt, niſi quod ſub tyrannide hodiè vivat univerſa fere illorum Patria. Exeſto talis Libertas.

Quod ſi verò quis Libertatis vocabulum id demum ſignificare contenderit, quando ad arbitrium ſuum unusquisque ſine omni lege vivit, & ex brutæ Rationis dictamine, tantùm quia ſic placet, actiones ſuas inſtituit, illum ego, ſive imperans fuerit, ſive parens, in detrimentum & perniciem Reip. natum pronuncio. Optimè in hanc rem Virgilius Malvezzi *in Tarquin. Superb.* p. 127. *Se la libertà ſignifica poter fare quello, che altri uuole, leverà il luogo alla licenza, e ſarà peſsimo quel governo, che ſarà più libero. Se ſignifica poter far quello, che ſi conviene, non occorre ſeparar la dal Principato, ſotto di cui non meno che nella Republica può haver luogo il conveniente.*

Et iſtam quidem Libertatem, quam Cyclopicam non fruſtra diximus, populo ereptam, inſulſiſsimè & impiè dolet Barbagrigia Typographus Italus in *præfatione*, quam ſpurciſsimo Petri Aretini Scri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

pto præmiſit: *Chi non laſcia la libertà, inquit ille, à gli huomini, che ha lor conceduta la benigna Natura, non fa altro, che fargli diventare doppi & malvagi, ne vi ſervite d' altro eſſempio, che di queſto, ciò è che dopò havere hauuto levato del Mondo il Duello ottimo Paleſatore de la 'nnocenza de' buoni, & de la ſceleraggine de' Rei, non è ſeguito altro, che vergognoſſimi homicidi & vituperoſiſsimi aſſaſsinamenti, ne differenza veruna ſi riconoſce hoggi tra il valoroſo, e'l vile*, &c. Hanc tamen Libertatem & modum componendi lites per Duellum, (ut hoc obiter moneam) ſuo adhuc tempore legis vigorem retinuiſſe, oſtendit Smith. *l. 3. de Rep. Angl. c. 3.*

Sed miſsis falſis hiſce Libertatis nominibus, veram potius illius proprietatem examinemus. Ex politico ergò vocabuli hujus uſu, & quatenus ſervituti contradiſtinguitur, etiam ille in libertate vivit, qui in benè conſtitutâ Rep. Magiſtratum ſuum veretur, & Leges ab ipſo præſcriptas piè obſervat. Neque enim ſervitus putanda eſt, vivere Reip. convenienter, ſed ſalus juxta Ariſtot. *l. 5. Pol. c. 9. Vtiliſsimum eſt*, ait Plato, *etiam in ipsâ libertate ab alieno arbitrio dependere, neque omnia*

quæ

quæ facere libet, licere, quòd nulla major peccandi illecebra, quàm peccati impunitas detur. Cicero, *pro Cluentio: Legum Miniſtri Magiſtratus, Legum Interpretes Iudices: Legum denique idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſsimus.*

Quanquam autem Libertatis cura maxima in Democratico inprimis ſtatu conſpicienda ſit, adeò ut Libertatis vocabulum Regio & Oligarchico Dominatui ab optimis Scriptoribus plerumque ſoleat opponi, uti id pluribus oſtendit H. Grot. *de jure B. & P. p.* 59. & multi juxta Philoſophum *VI. Polit. c.*2. in ſolâ hâc Reip. formâ Libertatem ſe poſſe conſequi arbitrentur; nihilominus tamen etiam ſub Rege vera datur Libertas, quæ tantò quidem major utplurimùm eſt, quantò ille illuſtrioribus eminuerit virtutibus. *Iuſtæ legi, ſanctæ, & honeſtæ, ut & optimo Principi ſervire, regnare eſt,* ait Plinius *ad Trajan. Sed nec populi quidem imperium jure dixeris* (ſunt verba Polybii *l.*6.) *ubi penes quamlibet turbam poteſtas faciendi quicquid voluerit aut propoſuerit, ſed ubi patrius mos viget Deos colendi, Parentes honorandi, Seniores reverendi, legibus parendi: ii ſunt cœtus, apud quos, ſi vincit illud, quod pluribus viſum fuerit,*

populi imperium eſſe dici jure poteſt.

Hoc ferè modo Imperiales quædam Civitates κατ' ἐξοχὴν dicuntur Liberę, non quaſi omnimodâ Libertate fruantur, & Imperatoris jurisdictione exemptæ ſint, ſed quod ab inferiorum Principum, Prælatorum, & Comitum imperio & exactionibus liberæ ſint. Uti & Nobiles immediati pari ratione Liberi appellantur. Reinkingk *lib. 1. claſſ. 4. c. 20. n. 10.*

Aliàs verò nomine *Libertatis* Albertus Elector Moguntinus appellavit portionem illam Majeſtatis, quam in Electione Imperatoris Caroli V. ordinibus & ſtatibus imperii reſervatam voluit: *Illis namque regionibus*, inquit, *â Franciſco Galliarum Rege oppreſsis, an incolumem diu nobis libertatem noſtram fore putatis?* & rurſus: *Neque communem patriam aliquâ volet opprimi ſervitute, & de non transferendo imperio vel imminuendo jure ac libertate noſtrâ fidem nobis dabit per jusjurandum.* apud Sleidan. *l. 1. p. 20. 22.* Elector Saxoniæ Fridericus illam eodem nomine apud eundem *p. 25.* innuit: *Placere ſibi*, ait, *ut Carolus Auſtriacus renuncietur Cæſar, veruntamen certis Legibus, ut & Germaniæ ſuæ libertas conſtet.*

Illam

Illam ergò libertatem, quæ regium non reſpuit aut deſtruit imperium, quæque Legibus ſubjecta eſſe non renuit, Anglis nunquam ſuffurari aut auferre voluit Carolus, uti hodiè comminiſcuntur Parricidæ, ſed morti jam proximus ſanctè proteſtatus eſt Glorioſiſsimus Rex, Deumque veritatis fontem Teſtem ſuæ innocentiæ invocavit: *Se Subditorum ſuorum libertatem, quam in ſalutari regimine ſecundùm Leges & mores patrios conſiſtere dixit, præ cæteris ſemper deſideraſſe, adeò ut eam unicam ob cauſam præſens ſibi incumberet neceſsitas; Quod ſi in Legum ſubverſionem ad effrenatum Militis arbitrium conſentire voluiſſet, ſe in eum locum nunquam fuiſſe deductum.*

Legant Parricidæ, quàm graviter diſſerat Rex *in Icone* Βασιλικῇ, quam poſt mortem ejus latinitati donavit Joh. Earles, Caroli II. Regis moderni Sacellanus, *p.* 129. interemptum à ſe agnoſcent & ſerò deplorabunt Patriæ Patrem. Ita autem ille: *Aliud jam porrò artificium, quo ſuffurari mihi Populi affectus & ad ſe pellicere volebant,* (Demagogi ſc. illi, de quibus ante dixerat) *erat Libertatis oſtentatio & ſtrepitus, cujus ſanè haud naturâ magis avidi homines quàm ferendo impares,*

 ſi co

ſi eo ſenſu vulgari accipiatur Libertas, ut ſit, id prorſus facere, quod cuique libuerit. Sin verò ea ſit Libertas ſanctiſsima, velle homines quod debent, & quod ſic velint, facere, prout Rationi, Legibus, Religioni conſentaneum, haud invideo Subditis meis eam Libertatem, quâ nec ipſe ampliore frui poſtulo, nedum aliorum opprimere. -- Quod ad civiles immunitates attinet, nemo -- vel majorem libertatem optaret, quàm quæ à Lege permittitur, cujus juſtos limites boni Viri ornamento ſibi ducunt & præſidio, cæteri compedes appellant & Gravamina. -- Tempus meliùs erudiet ſubditos meos, illos optimè veram Libertatem conſervare, qui ſibi minimam licentiam vel contra Leges, vel extra illas indulgent, &c. Dignus eſt Liber qui legatur & relegatur. Eſt enim vera idea & genuinum ſpecimen Boni Principis, quale vix dabunt umbratici rerum politicarum Doctores.

Cum ergò Rex Subditorum ſuorum Libertatem ſartam tectamque ſemper voluerit, conveniens erat, ut & illi viciſsim Regis libertatem defenderent, quam Deus & Natura ipſi conceſſam voluerunt. Sed enim miſeram Regis conditionem, quis non doleat? Omni ille exutus libertate

in carcerem detruditur, & qui judicari à nemine poterat, illi dies dicitur, ille judicio ſiſtitur, ille condemnatur, ille infami afficitur ſupplicio. Ecce verò regiam hanc vocem & ſententiam, quam inter initia ſuæ calamitatis Rex infelicißimus protulit, quamque conſtanter aſſeruit: *Ego* (inquit in *Icon. pag.* 32.) *nec tanti Regna mea facio, ut illa velim ſervare libertatis diſpendio, quæ cum mihi ut Homini & Chriſtiano debetur, multò minus mihi ut Regi neganda eſt, qui nullius ſuperioris præter Dei dictata, ut conſenſum obligantia, agnoſcam. Emori ſatius eſt ſub hoc regno animæ meæ, quâ Deo ſolùm ſubjicior, Ratione & Religione me dirigente, quàm inanem Regis titulum uſurpantem conſtrictum me ita & captivum vivere, ut nec conſcientiæ nec Rationis uſus permittatur, quo quid probem quid improbem (prout Regem decet) declarem, &c.*

Et hæc eſt illa libertas ſcilicet, quam coram populo toties jactarunt impudentißimi Demagogi. Regem enim dum ferre ampliùs non poterant, dumque ipſum è medio tollere conſtitutum jam erat, ut populum ſpecioſis fallerent & ludificarent nominibus, aureum LIBERTATIS vocabulum ubique circumferebant. Quod

verò aliter obtineri non poterat, niſi per Regiæ Libertatis plenariam everſionem, ipſiuſque Regis capitale ſupplicium. Ne tamen injuſtæ hæ ipſorum artes, & quod in ſe erant, viderentur, JUSTITIÆ vocabulum omnium in ore erat; ſed in ore tantùm, multùm diſſentiente corde, actionibus etiam in alia omnia tendentibus. Et eo quidem tempore nemo non tam ſplendido vocabulo decipiebatur, inter illos præſertim, qui ſub externo Virtutis pallio turpiſsima quandoque latere flagitia, non ſatis edocti erant: Nec tamen decipi poterat Rex acutiſsimus, eò quod ipſorum technas non leviter cognitas haberet, & propterea per JUSTITIÆ vocabulum, *quidquid ipſis collibuiſſet*, optimè interpretabatur, *in Icon. pag 9.* Unde quid de JUSTITIÆ TRIBUNALI nuncupativo, ad quod Rex citatus & condemnatus fuit, ſentiendum ſit, nemo non perſpicit, & infra fortè pluribus edocebitur.

Sed enim jure naturæ ſibi deberi eam, quæ nemini ſubſit, Libertatem, & quod hactenus Regi paruerint, id ex conventione populi factum, fortè contendent Parricidæ, cum, omnes Homines pares à Naturâ editos, inter communiſsima recen-

recenſeatur Politicorum principia. Pares certè homines eſſe ad unum omnes non negamus, ſi de nativitate & modo ortus humani dictum accipias. Viciſsim autem aſſerimus, ſi quis exinde evincere velit, neminem hominum imperare, neminem obedire debere, falſiſsimum illud eſſe & contra divinum inſtitutum. Ut enim jam nihil dicam de debito, quo liberi Parentibus, uxores Maritis, ſervi Dominis obſtricti ſunt, quodque Reip. quandam quaſi formam repræſentat, hoc tantùm regerere nunc libet, ne ſervitutem quidem, ultimam obſequii ſpeciem, omninò eſſe contra Naturam: Quod ut intelligatur, notandum eſt ex Domin. Soto *de juſtit. & jure. l.4. q.2. art.2.* Lud. Molina *de juſtit. tract.2. diſput.32. n.7.* bifariam Naturam aliquid intendere. *Uno modo* ſecundùm intentionem primam, quemadmodum intendit generationem rerum corruptibilium, ne ſpecies intereant, ſed ut in individuis aliis aliiſque conſerventur. *Altero modo* quoad intentionem ſecundam, quâ ratione corruptionem intendit, ut generet. Quod ſi jam Naturæ intentionem primam ſpectemus, quâ cupit omnes & ſingulos homines ſui juris eſſe, virtuosè vivere, & ſibimet ipſis conſulere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſulere, Servitus contra Naturam eſſe recte conceditur. Deficiente autem illâ Naturæ intentione, ſequitur Servitus non tantùm naturalis, ſed etiam Legalis nonnunquam, quatenus conſideratur ut pœna, quæ eſt conformis & individua pediſequa naturæ corruptæ. Quod ſi ergo Servitus contra Naturam non eſt, quomodo contra Naturam erit illa Subjectio, quæ non ſervile ſed filiale requirit obſequium, quæque libertatem ſecundùm rationem & virtutem agendi non adimit?

Quin à Naturâ inſtitutum videtur, ut diſsimili quâdam Harmoniâ, aptè tamen temperatâ ſubſiſtat illud, quod ex pluribus membris coacervatum primitùs fuit, h. e. ut in qualibet Societate imperans & parens ſuis quiſque partibus fungatur, neque aliter conſiſtere poteſt totum illud ex pluribus coagmentatum corpus, niſi ſit, qui imperet, niſi etiam ſit qui pareat. Inter ipſos angelos datur ordo, Dominationes nempe, Principatus, Poteſtates. In rebus etiam inanimatis forma veluti imperat, materia paret. In animalibus anima imperat, corpus obtemperat. Ita & ſexus maſculinus fœminino imperare videtur. Naturale eſt apibus, gruibus, gallinis, ovibus, capellis, regi ab uno & in ſocietate

ſub

ſub Rege vivere. In ipſo homine anima corpore herili imperio dominatur, mens autem appetitui, civili & regio. Etiam in ſtatu integritatis fuiſſent qui imperaſſent, fuiſſent, qui obedientiam præſtitiſſent. Poſt lapſum imperare & parere, non neceſſarium modo ſed & utile fuit. Per anarchiam enim integræ ſocietates intereunt, neque conſiſtere ullo modo poſſunt. Et naſcuntur præterea quidam homines uſque adeò impotentis animi, ut nec ſuis commodis proſpicere, nec ſibimet ipſis ſatis conſulere poſsint, qui ſanè ad vitam conſervandam alieni indigent auxilii & aliter vivere nequeunt, niſi pareant & ad imperantis arbitrium vitam inſtituant. Vid. Ariſtot. l. 1. Pol c. 3. Quemadmodum igitur unus aliquis ingenio atque naturâ poteſt eſſe ſervus: ita fieri poteſt, ut integer populus tali ingenio ſervili præditus ſit, qui ſanè propterea commodiſsimè herili imperio ſubjicitur, ut ſc. tali regimine gubernetur, quod naturæ ipſius quam maximè convenit.

Quod ſi autem quis ſubjectionem & imperium quidem in ſenſu non diſtributo à Naturâ eſſe conceſſerit, de Monarchico autem ſtatu id concedere nolit, ille ſecum perpendat, etiam inter bruta animantia quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

quandam quaſi Monarchiam à Naturâ inſtitutam & ſub unius regimine totam Univerſitatem rectiùs diſpoſitam inveniri, quam ubi inter plures diviſum fuerit imperium. Et videtur Natura etiam Hominibus in primâ ſtatim ſocietate, quæ domeſtica eſt, tale gubernationis exemplar præſcripſiſſe, quando Seniori in unaquaque familiâ quandam reverentiæ opinionem apud juniores, ſive Liberi illi fuerint ſive Nepotes, conciliavit, eoſdemque illi ita obnoxios fecit, ut etiamſi poſtea amplificatâ familiâ Senioris illius domo egreſsi fuiſſent, nunquam tamen ipſius imperium detrectarent.

Atqui hanc primam Regum originem eſſe, & ex primogenitis ſive ſenioribus, aut Magnis Patribusfamilias, factos paulatim Regulos vel Principes, Politici plerique omnes perſuaſum habent. Ex quo factũ eſt, ut Gentes antiquitus pene omnes, etiam immanes & barbarę, monarchicum ſibi imperium eligerent, uſque adeo, ut, etiamſi nonnullæ aliam Reip. formam introduxerint, ingruente tamen neceſsitate unius Æſymnetæ aut Dictatoris Imperium bono publico magis proficuum eſſe, ipſa talium perſonarum electione & creatione comprobarent. Neque enim vel

Græci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Græci omnes vel Romani omni tempore Regium imperium averſati fuerunt, neque ideo averſati ſunt, quòd ex inclinatione naturali id ferre nequirent, ſed vel tædio ἀρχόντων vel indignatione commoti aliam & longe diverſam Reipubl. ſpeciem introduxerunt. Quod ſi tamen huic vel illi populo imperium unius minus convenire, atque adeo contra genium & indolem ipſius eſſe deprehenſum fuerit, neutiquam tamen exinde, omne Monarchicum imperium contra naturam eſſe, concludi poterit, cum ejusmodi ſingulares qualitates naturam univerſalem nequicquam infringant. non minus quam cibus aliquis huic vel illi homini noxius toti humanæ naturæ incommodare aut noxius dici poteſt.

Quid vero? ſi Anglis natura liberis, ſibique ipſis conſulere idoneis, dominicè fortè aut tyrannicè imperaſſet Carolus? Parcite Beatiſsimis Manibus Homines infauſti, nec ægrè faciatis Defuncto, cujus viventis excuſationem audire non ſuſtinuiſtis. Ponamus tamen, planè inidoneum fuiſſe hunc Regem ad habenas Reip. capeſſendas, adeoque à Natura ipſi negatam fuiſſe potentiam aut facultatem imperandi. Plura enim ponenda ſunt, falſa

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

etiam & fictitia, ne rimas elabendi quęrere poſsint Regicidæ, iſta talia ad palliandam ſuam impietatem nonnunquam comminiſcentes. An propterea ille vel ad judicium vel ad ſupplicium trahi debuit? Minimè gentium. Utut enim talem ſervitutem, ſive unius Hominis, ſive integri populi natura liberi, contra Naturam eſſe non negemus, eandem tamen injuſtam ſtatim eſſe, adeoque morte imperantis expiandam, omnibus modis negamus. Actiones namque humanæ tunc proprie efficiuntur juſtæ aut injuſtæ, ſi illa quæ vel vetuit vel mandavit natura aguntur aut violantur. Injuſtæ autem proprie non ſunt, ſi contra illa, quæ non tam determinavit, quam ſuaſit natura, aliquid committatur. Cum verò Libertas hominum ingenio & prudentia valentium conſulta potius ſit à Natura quam mandata, ſequitur inverſionem iſtius ordinis, quæ non rarò accidere ſolet, minus quidem laudabilem & contra naturam etiam nec tamen propterea injuſtam eſſe. Quin imo ſi juſtus titulus penes imperantem ſit, vel per ſucceſsionem, vel per populi conſenſum & conventionem (quatenus ſcilic. majoris mali evitandi gratia ſervitutis jugum ultrò ſubit) ſerviendum illi omnino eſt, utut excel-
lenti

lenti & heroica virtute ſubditos ſuos non ſuperet.

Sed pergamus nunc ad ipſum fundamentum poteſtatis Regiæ, & num ex conventione populi ea primum inſtituta ſit, breviter diſpiciamus. Angli in Declaratione ſua nimis audacter aſſerunt, *primam Regii muneris originem atque inſtitutionem apud nationem ſuam manaſſe ex unanimi conſenſu & convenientia populi, &c.* Quod quàm falſum ſit, non tantùm ex Guilielmi Conquæſtoris, cujus ſupra mentionem feci, hiſtoria patet, ſed etiam ex communi Regum omnium & Principum, ipſiuſque quantæcunque ſuperioritatis jure & inſtitutione, refutari nullo negocio poteſt. Et miramur, Puritanos Angliæ hodiernos conſpirare nunc cum Pontificiis ejusdem ſententiæ Propugnatoribus, Baronio, Bellarmino, Mariana, Molina, Sandero, Tannero; & Jeſuitis communiter omnibus frigidam nunc ſuffundere. Ipſa ſane Magiſtratus & ſuperioritatis inſtitutio eſt à Deo, non per primigeniam collationem hujus poteſtatis in Rempubl. quæ lumine Naturæ & multiplicatione hominum edocta deinceps conſultum duxerit transferre poteſtatem ſingulis competentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tem in unum vel plures pro arbitrio, ſed per immediatam quandam ordinationem, qua DEVS citra mediationem ingenii humani & imperantem & obedientem inter homines eſſe voluit.

Quod ſi verò quis in Electione Regis, ſicubi ea locum habuerit, ſuffragia populi aut procerum omnino intervenire, adeoque Deum in tali actu non immediate poteſtatem Regi conferre, exiſtimet, conſideret quæſo, & ſecum diligentius perpendat, non aliter fieri poſſe Electionem Regis, quam fieri ſoleat Electio Miniſtri Eccleſiæ, quod quidem ipſam perſonæ vocationem attinet. Jam autem quis dicere vellet, populum habere poteſtatem docendi, adminiſtrandi Sacramenta, ſolvendi & ligandi peccata &c. quæ radicaliter quidem & fundamentaliter aut habitualiter pertineat ad populum, collata autem fuerit formaliter per vocationem Miniſtro Eccleſiæ? Non puto quenquam in Theologicis rebus adeo ignarum & penitus rudem eſſe poſſe, qui id ſeriò ſtatuere in animum induceret. Solus enim DEVS habet jus conferendi poteſtatem docendi, eaque poteſtas, & collatio iſtius poteſtatis, immediatè eſt à ſolo DEO. Eccleſia autem ſive populus in Eccleſia tantùm pro-

ducit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ducit perſonam, eamque deputat ad exercitium poteſtatis illius & applicat poteſtati, non autem vice verſa poteſtatem applicat perſonæ. Ad eundem modum poteſtas imperandi aut jus ſuperioritatis ſoli DEO competit, qui ut per creationem in omnes creaturas ſuas dominium verè poſsidet, ita illud ipſum & peculiare quidem in Hominem ſibi vendicat. Quam tamen poteſtatem, quia per homines Vicarios DEVS populum ſuum gubernaturus erat, cum illis communicavit, animiſque ſubditorum propenſionem quandam naturalem indidit, ut bonum exiſtiment parere imperantibus, utque perſuaſi ſint, ſine ſubiectione & imperio nunquam obtineri poſſe finem ſocietatis civilis, qui communis nomine dicitur Beatitudo.

Illam ergo poteſtatem DEVS immediatè confert imperantibus. Populus autem quando eligit Regem, non applicat iſtam poteſtatem perſonæ, ita ut ea ante electionem penes communitatem fuerit, ſed perſonam deputat ad iſtam poteſtatem & applicat poteſtati regiæ. Illuſtrari poteſt idipſum etiam ex ſocietate conjugali, ubi Maritus poteſtatem ſuam in Uxorem non accipit ab ipſa Uxore, quæ Maritum

hunc

hunc ſibi conſtituere potuit aut non potuit; ſed à ſolo DEO, & quidem immediate, ita ut Uxor, poſtquam ſemel conſenſit, & hunc ſibi Maritum eſſe voluit, parere deinceps eidem neceſſe habeat, nec excipere poſsit, ſui arbitrii fuiſſe Viro huic nubere aut non nubere, cum effectus, qui ab initio fuit voluntatis, nunc illâ quaſi obliteratâ aut rejectâ, neceſsitatem inducat.

Utut ergo poteſtatem deſignandi vel eligendi perſonas, populo ſive communitati non denegemus, negamus tamen perſonas illas deſignatas vel electas poteſtatem gubernandi à populo accipere, & firmiter aſſerimus, Deum certis illis hominibus, qui à populo ſunt deputati ad regnandum, poteſtatem regiam immediatè conferre. Certè aër illuminans Terram, lumen illud ipſe non efficit, ſed applicat tantùm Terræ, quod corpori deinceps luminoſo acceptum ferendum eſt; & qui focum inſtruit, ligna quidem igni applicat, ignem tamen aut poteſtatem comburendi in ſe non habet: & qui ſpeculum Soli exponit, ut radios reflectat, ille non lumen ſpeculo, ſed ſpeculum lumini applicat, quod ſcil. immediate à Sole in ſpeculum influit. Pari ergo ratione populus

lus poteſtatem, quam ipſe non habet, alteri quoque dare non poteſt; poteſt autem deſignare perſonam & applicare eam illi poteſtati, quam DEUS perſonæ ita electæ immediatè conferre decrevit.

Probamus autem noſtram hanc aſſertionem ex omnibus illis dictis Scripturæ, in quibus Magiſtratus dicuntur Filii Dei, διάκονοι & λειτουργοὶ Dei, *Pſal.* 82. 6. *Rom.* 13. 1. 4. 6. qui per Deum regnent, *Prov.* 8. 15. 16. quibus Deus imperium largiatur, *Dan.* 2. 21. 37. 44. *Sap.* 6. 4. 5. *&c.* Quod de ſemetipſo teſtatur & agnoſcit Joſephus *Gen.* 45, 8. Core ſive Cyrus Rex Perſarum 2. *Chron.* 36. *v. ult.* aliique plures. Ita & Joſaphat Rex, cum judices in civitatibus Juda conſtitueret, eos non hominis ſed Domini judicium exercere diſertè ait 2. *Chron.* 19, 6. ut ne à populo ſibi eam poteſtatem conceſſam præſumerent.

Nec verò poteſtatem tantùm imperandi à Deo immediatè accipiunt Reges & Magiſtratus, ſed illa quoque, ſine quibus poteſtatem iſtam exercere & populo reverendam facere vix poſſent. Deus enim eſt, qui Magiſtratibus largitur Spiritum ſuum *Iud.* 3. 10. 1. *Sam.* 16. 13. qui cor Regis dirigit & inclinat quocunque voluerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

luerit, *Proverb.*21, 1. qui Regi ſubjicit populum *Pſal.*144, 2. qui corda Subditorum flectit ad debitum obſequium, 1. *Sam.* 10, 26.27. qui Reges & Magiſtratus convertit in alios viros, 1.*Sam.*10, 6. Quod ſi ergo Magiſtratus à populo ſuam poteſtatem haberet, ſequeretur non tantùm, eum populi potiùs miniſtrum dicendum eſſe, quàm Dei, quandoquidem in ejusmodi relationibus à propiori rectiùs fiat denominatio, ſed etiam, populum eſſe ſuperiorem Rege, dirigere cor Regis, convertere Reges in alios Viros, breviter, expedire iſta omnia, quæ ſoli Deo in Scripturis attribuuntur. Et quoties accidit, ut invito planè populo imperent Reges? quos ſanè iſtam ſuam poteſtatem à populo recalcitrante aut annuente aut renuente accepiſſe, nemo unquam nobis perſuaſum dabit.

Sanè ſi ad primam Regum originem, Regiique adeò imperii fontem oculum intendere licet, plura ſane imperia per occupationem & externam vim, quàm per electionem & ſuffragia Gentium, monarchica facta fuiſſe deprehendemus. Fuêre quoque qui non à populo regnare juſsi, ſed ut regnare poſſent, populum ſibi junxerunt, & homines circumpalantes in oppida

oppida coëgerunt. Fuêre, qui in Gentium migrationibus Ducum ſibi partes ſumpſerunt, & ubi ſemel fixam ſedem conſtituiſſent, regio deinceps imperio inclaruerunt. Qui omnes à populo ſuam poteſtatem habuiſſe dici nequeunt, tantum abeſt, ut omnes Reges à populo fiduciariam poteſtatem accepiſſe, Britanni nobis perſuadere poſsint. Et verò nunquid primogenitos aut Seniores olim in quâlibet Familiâ à filiis & nepotibus ſuis illam, quam habebant poteſtatem & autoritatem, accepiſſe dicamus? Minimè verò. Ipſimet eâ pro lubitu utebantur, ſuamque familiam domeſticis minimè repugnantibus moderabantur.

Falſum proinde eſt, quod hactenus evincere voluerunt Pontificii & cum illis fortaſſe Anglorum Puritani, poteſtatis politicæ titulum eſſe partim divinum, partim humanum; illam ſcilicet universè & in actu ſignato conſideratam eſſe quidem de jure divino & immediatè à Deo, in particulari autem & actu exercito, prout exercetur ab hoc vel illo Principe, eſſe de jure gentium & inſtituto hominum. Falſum, inquam, hoc eſt, & ipſis divinis literis contrarium, nec dignum quod prolixiori verborum apparatu refutetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tetur. Multò aliter originem ſupremæ poteſtatis deducit M. Terentius Eques Romanus apud Tacit. *l. VI. annal. c.*8. *Tibi*, inquit, *Cæſar, ſummum rerum judicium Dii dedêre, nobis obſequii gloria relicta eſt.* Et hæc ſententia de ſupremâ Regis dignitate, quæ eum ſolo Deo minorem facit, in primitivâ Eccleſiâ ab Juſtino Martyre, Athenagora, Tertulliano, Origene aliiſque plurimis ſatis firmata & ad poſteros continuata fuit.

Sciunt Imperatores (ait Tertull. *apol. c.* 30.) *quis illis dederit imperium, ſciunt qua homines, quis & animam. Sentiunt eum Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi ante omnes & ſuper omnes Deos, &c.* Atque hoc ſcivit etiam Carolus noſter dum ait *in Icone p.*73. *Subditorum meorum mens & ſententia--à meâ forſan longius recedit, quam ſint fines noſtri & conditio diverſa; hanc enim Deus ſatis & Leges diſcriminarunt, cùm me Regem fecerunt, illos Subditos, &c. pag.*133. *Deus Regibus eos divinæ autoritatis & ſacroſanctæ poteſtatis characteres impreſſit, qui ſine gravi peccato obliterari non poſſunt. &c.*

Verùm ad refutandas iſtas Declarationis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

nis φλυαρίας, ſufficit ſolum titulum Guilielmi Conquæſtoris opponere, quòd ab eo non interruptâ ſerie ſemper penes ſucceſſores ex Normannorum gente imperium fuerit. Ille autem non ex electione aut ex conſenſu & convenientiâ populi Regnum hoc ſuum accepit, ſed jure Belli iſtud primùm obtinuit, legesque eo tempore ad arbitrium fixit & refixit. Succeſſorem etiam non primogenitum, ſed ſecundogenitum ſui nominis Filium ipſemet conſtituit. vid. Guil. Neubrigenſis hiſt. l. 1. c. 1. Quod ſi vel ipſe poſt partam victoriam vel ejus Succeſſores aliquid ex gratiâ populo devicto conceſſerunt, id ipſi ex debito & quia ita oportuit, conceſſum fuiſſe nequaquam credendum eſt. Potuiſſent enim ea quoque non concedere, ſed jure ſuo, quod tàm in bona quam in corpora Subditorum illis competebat, pro lubitu uti.

Videmur inſuper intelligere, aut ſaltem conjectura aſſequi, quid ſibi velint Declaratores, quando ajunt, *Regem à populo conſentiente electum eſſe, ut munere regio fungens, eos à quibus electus eſt, ſecundum jura conceſſa protegeret.* illud ſcil. quia omne regimen eorum, qui reguntur, non qui regunt cauſa paratum

ſit, ideò ſuperiores eſſe eos qui reguntur eo qui regit. conſequenter, imperantem, qui jura conceſſa non obſervaverit, rectè à populo rejici & puniri poſſe. Sed enim utut concedamus, in bene conſtitutâ Rep. reſpici per ſe debere utilitatem eorum, qui reguntur, (dantur enim quædam imperia, in quibus imperantis potiùs utilitas attenditur, quæ tamen nec injuſta ſtatim nec tyrannica etiam, quatenus vocabulum hoc injuſtitiam aliquam infert, dicenda ſunt) utut, inquam, illud concedamus, nunquam tamen inde elicient Angli quod volunt. Nam & Sues propterea non ſunt ſuperiores Subulco, quòd hic illarum causâ conſtitutus ſit, & tutela pupilli quidem causâ reperta eſt, nec tamen pupillus major aut ſuperior eſt ſuo Tutore, ſed ipſa tutela eſt jus ac poteſtas in pupillum; quod exemplum accommodatè ſuggerit, H.Grot. *de jure B. & P. l.1.c.3.* Et quanquam removeri poſſit Tutor, qui malè Rebus pupilli præeſt, non tamen removeri poteſt ab ipſo pupillo, cui præeſt, ſed ab alio ſuperiore. Rex autem, quia ſuperiorem non habet, etiamſi malè adminiſtret Remp. removeri idcircò à Subditis nec poteſt nec debet. Unde quando objiciunt quidam, Pa-

trem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

trem, ſi filium interfecerit, capite pœnas dare, proinde & Regem eâdem juſtiſsimâ Lege teneri, ſi populum i. e. filios ſuos perdiderit; nego utrobique eandem eſſe rationem. Pater enim, cum ſuperiorem habeat, ab eo meritò punitur. Rex autem, quia ſuperiorem non habet, puniri non poteſt, nec accuſari etiam, ſed eſt planè ἀνυπεύθυνος & ab omni coactione immunis. Verùm iſta ex ſequentibus pleniùs intelligentur.

EXERCITATIO III.

Rex Carolus eo ipſo, quod â Subditis ſuis regio titulo & dignitate ſemel cultus fuit, non potuit nec debuit ab iiſdem rejici.

DIxi ſupra, Uxori poſt conſenſum nuptialem, non amplius liberum eſſe parere vel non parere Marito, ſed id neceſſariò & ex debito ab eâ requiri. Idem nunc dictum volo de Subditis, qui ſemel in regiam poteſtatem conſenſerunt, ſive conſenſus ille jam fuerit invitus ſive ſpontaneus, non poſſe eos deſtituere Regem, quem talem aliquandiu agnoverunt, nec integrum etiam ipſis eſſe parere vel non

parere. Nolumus enim mutuam quandam ſubjectionem cum quibuſdam ſtatuere, & Regi rectè imperanti ſubjicere univerſum populum, quem tamen rurſus malè Remp. adminiſtranti Regi præficiamus. Nec enim, qui habet poteſtatem conſtituendi, etiam habet poteſtatem reſcindendi contracta, ſtipulata. Recte igitur Valentinianus Imperator, cum milites, à quibus tamen Imperator factus erat, poſtularent, ut ſocium imperii conſtitueret, reſpondit: *Vt me ad imperium vobis eligeretis, in veſtrâ ſitum erat poteſtate. At poſtquam me jam elegiſtis, quod petitis, in meo jam eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi verò quæ facienda ſunt cogitare.* apud Sozom. *l.* 16. *hiſt. Eccleſ. c.* 6. Niceph. *l.* 11. *c.* 1,

Non impia tantùm ſed etiam planè abſurda eſt ſententia Zachariæ Pontificis, quam in *Epiſtolâ ad Gallos*, conſilium de Chilperico abdicando petentes reſcripſit: *Principem nempe populo, cujus beneficio Regnum poſſidet, obnoxium eſſe. Quæcunque enim habet, potentiam, gloriam, divitias, dignitatem, à populo accipere & plebi accepta referri neceſſe eſſe. Plebem Regem conſtituere, eandem & deſtituere poſſe.* Abſurda inquam, & impia ſen-

ſententia, quæ tamen tantas hodiè in animisPontificiorũ radices egit, ut extirpari à bonæ mentis Politicis difficulter poſsit.

Ita Anno 1589. menſe Januario, cum mitteretur in Conſilium Collegii Sorbonæ quæſtio, utrum Subditi ab obſequio erga Regem præſtando, abſolvi poſſent, fortiter ex officio Faber Syndicus, Camuſus, Chabotus, Faber Curio ad S. Pauli, Chavagnacus & Seniores quique nefariam iſtam propoſitionem rejecerunt; ſed major pars, Scholæ Jeſuitarum alumni, Bocherius, Pichenatus, Varaderius, Semella, Cuillius, Decretus, Auburgus, & alii innumeri vincente ſuffragiorum numero id obtinuerunt. ut refert M. Anton. Arnaldus Advocatus in Parlamento Pariſ. *in orat. ſuâ, quam habuit pro Vniverſ. Pariſ. contra Ieſuitas p.14. Planè formidoloſo exemplo* (ut ingenuè fatetur Piaſecius in *Chronicis* ad hunc annum *p.*58.) *Theologiam invitam in necem Principum armarunt, ac ſi hac doceret, quod quilibet Subditus, imò & Vulgus imperitum ſit judex & vindex factorum Regis ſui, liceatque ei Principem arte malevolorum vocatum in ſuſpicionem hæreſis ſtatim tollere, & eſſet inexpiabile legitimo Principi, ſi ſubditorum in perſonam*

ſuam conſpirationem evidentem, eamque armatam devitando populi furorem, quo executio juſtitiæ impediretur, ſolertiori proviſione coërceat.

Et ſanè quam faciles ſint Pontifices Romani in hoc negocio, ut Regibus diademata auferant, non tantùm ex ipſis Hildebrandi ſive Gregorii VII. Canonibus, quos Dictatùs appellavit, ſed etiam exemplis benè multis liquet, quæ ſi quis collecta habere velit, adeat Davenant. Epiſcop. Sarisbur. *q.*30. *pag.* 139. Joan. Azor. Jeſuit. *inſtit. moral. l.*10. *c.*8. *& l.*11. *c.*5. Arniſæum *de Rep. p.*590. 592. Nicol. Bellum *diſcurſ. polit.*2. Theodor. Reinkingk. *lib.*1. *claſſ.*2. *c.*8. *n.*20. 21. *alioſque plures.* Unde enata eſt poſtea communis Jeſuitarum doctrina, Reges excommunicatos rectè occidi, imò occidi oportere. Non piget referre, quæ ſupra dictus Arnaldus *in Oratione ſuâ pag.*29. habet. *Allinus qui Gymnaſiarchum agit Rhemis in Collegio Seminarii, ex profeſſo librum de hoc argumento* (Reges ſc. excommunicatos occidi oportere) *ſcripſit. Atque in hanc ſententiam memini Guilielmum Parrium, cum juſtâ morte afficeretur, apertè exponere, quomodo Benedictus Palmius Ieſuita docuiſſet ipſum, licere occidere*

dere atque è medio tollere Reges & Principes, quoſcunque Pontifex anathemate excommunicationis feriiſſet: quâ de re poſtquam ſermonem cum docto quodam Sacerdote, cui Vateſio nomen, contuliſſet, ipſi Sacerdotem dixiſſe, propoſitionem illam falſam eſſe, & ipſum damnatum iri conſilii iſtius cauſa: itaque incertum Parrium & pendentem animi confeſſionis ergo ad Ieſuitam Annibalem Codretum abiviſſe Lutetiæ commorantem (hic autem is ipſe eſt, qui in quodam libro Lugduni impreſſo non dubitavit ſcribere ex eo nomen fuiſſe inditum Societati ipſorum, quod ipſos Deus ſocios adhibuiſſet filio ſuo Ieſu Chriſto, eoſque à Chriſto pro ſociis acceptos & probatos eſſe) hunc autem Codretum ſibi dixiſſe, fieri non poſſe, quin Vateſius iſte ſit hæreticus, & confirmaviſſe, nullum opus majoris meriti perfici ab ipſo poſſe, & Angelos ipſos Dei in cœlum eſſe hominem ſubvecturos.

Huic Jeſuitarum infrunitæ audaciæ & impio dogmati multum ſe oppoſuit Eccleſia Gallica, ipſumque Parlamentum Pariſienſe. Digna ſunt, quæ legantur *ex Areſto* dicti Parlamenti contra Johannem Caſtellum Scholaſticum, pronunciato anno 1594. menſe Decemb, *Inhibuit &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

interdixit Curia, inhibet interdicitque omnibus hominibus, quocunque genere & conditione ſint, ſub pœnâ criminis læſæ majeſtatis, ne ullo in loco publico aliove dicere aut efferre illos ſermones audeant, (Reges ſc. occidere licere) *quos ipſa Curia pronunciavit atque pronunciat ſcandali plenos eſſe, ſeditioſos, pugnantes cum verbo Dei, & tanquam hæreticos à ſacris Decretis condemnatos.* Conferantur ſi lubet Gregorii XIV. Papæ *Literæ Monitoriales ad Proceres Regni Franciæ* & ad eas *SCtum Turonenſe: Pium itidem conſilium ſuper* eaſdem, quod eo tempore Gallico idiomate prodiit, & ex Tuſſani Bercheti verſione latinè legi poteſt.

Sed enim miretur hic aliquis, quid iſta tam prolixa de Jeſuitis narratio ſibi velit, cum nec ipſorum manu nec etiam inſtinctu parricidium hoc commiſſum unquam fuerit. Equidem non neſcimus, jam inde à primâ Jeſuitarum origine, Angliæ Regnum ipſis non uſque adeò propitium fuiſſe; quin non unis vicibus à Regibus ipſis proſcriptos eos, & pro Hoſtibus, Proditoribus, Parricidis habitos & declaratos fuiſſe, ex annalibus conſtat abundè. de Eliſabethâ id refert Cambden. *annal. Angl. A.C.* 1585. de Jacobo Caſaubo-

ſaubonus *ad Fr. Ducæum.* de Carolo *Piaſecius ad an.*1626. Verum enim verò Jeſuitas cavere potuerunt Reges, Puritanos verò cavere nunquam ſatis potuit Carolus. Κακοὶ μὲν θρίπες, κακοὶ δὲ καὶ ἴπες. Et deteriores quidem ipſis Jeſuitis quin & audaciores multò ſunt Puritani. Illi enim Regem niſi excommunicatum occidi oportere non facilè adſtruent, adeoque quam juſtè fiat ejuſmodi cædes, ex ſuperiorum ferè arbitrantur judicio. Hi verò ad nutum & arbitrium populi Regem ſceptra tenere, amittere, imò populo volente occidi jure poſſe non aſſerunt ſolum, ſed ſuam etiam ſententiam ſatis protervè in conſpectu totius mundi exſequuntur. Profectò parum abeſt, quin benignius nunc de vobis ſentire incipiamus, Jeſuitæ, cum reperti nunc fuerint homines, à quibus in nequitiâ iſtâ ſuperemini. Date manus hiſce Alaſtoribus & diſcite ab iis, quomodo Reges cohibendi, judicandi, abdicandi, occidendi & penitus abrogandi ſint. Talem enim methodum neſcio an quiſquam veſtrum hactenus cognitam habuerit, tantum abeſt, ut à vobis eam ſuppeditatam exiſtimem.

Reges ſanè occidere Jeſuitis non eſt piaculo, ſed Tyrannos, excommunica-

tos (hoc eſt, à ſummo, quem jactant, Dei Vicario judicatos & condemnatos) & ſi qui fortè Religioni Romanæ non uſque adeò benè velint; Regnum ipſum tamen non tollunt, ſed Succeſſorem, ſi quem ex animi ſui ſententia habent, divino prope afficiunt cultu. At verò Anglorum Puritani, ut regnum deſtruant, Regem infami afficiunt ſupplicio non intra privatos parietes, non per Sicarios, uti Jeſuitarum fert conſuetudo, qui animum vultu, parietibus flagitia tegunt; ſed publicè, in conſpectu totius mundi, in pegmate peculiariter ad iſtam rem extructo. An Tyrannum eum? an Religionis & fidei contemptorem? prout nunc perſuadere nobis volunt Regicidæ, poſtea diſpiciemus. In præſentiâ enim, quid diſtent Jeſuitæ & Puritani, adduxiſſe ſufficiat.

Sed audiantur ipſi Declaratores, hoc eſt, Parricidæ ex Declaratione ſuâ, ut, quam abſurdis ea nitatur principiis, ex ipſo verborum contextu cuivis ad oculum pateat: *Verùm*, inquiunt illi, *ut Populi autoritatem latius deducamus, certum & manifeſtum eſſe aſſerimus: Ei autoritati & poteſtati, quæ Regem aliquem inſtituit, eundemque publicæ ſaluti cuſtodiendæ & protegendæ præfecit, ſi comperiat, eum*

corru-

corruptum atque ab æquitate averſum, ad Subditos miſeriis & anguſtiis divexandos proclivem eſſe, omnis juſtitiæ vigore liberum atque integrum erit de eodem pro lubitu diſponere & videre num illum, cujus electio ipſi placuit, & quem præfectum inſtituit, diuturniore regimine continuare, an verò regimen mutare, & in Tyrannidis locum liberum & nullis regibus ſubjectum ſtatum reponere velit.

Verba hæc ſi accuratiùs examinentur, neſcio annon tot abſurda, quot commata in iis inveniri poſsint. *Primò* enim populum faciunt ſuperiorem ipſo Rege, cum tamen in Regno nemo Rege ſuperior, nemo par, nemo illi æqualis ſit, à quo judicari, aut in ordinem cogi quoquomodo poſsit. Et licet aliqui in Regno tantùm ſucceſsivo ſummam & abſolutam Regi tribuant poteſtatem, in Electivo autem Regem populo quaſi ſubjiciant; quæ quidem aſſertio ad præſens noſtrum inſtitutum ſufficeret; nego tamen cum Hug. Grot. *de jure B. p.* 58. Succeſsionem eſſe titulum imperii, qui imperio formam aſsignet; ſed eam ſimpliciter pro veteris imperii continuatione habemus. Jus enim ab electione familiæ cœptum ſuccedendo continuatur. Quantum ergo tribuit pri-

ma

ma electio, tantum tribuit ſucceſsio. Sed plura de hoc dicere nihil attinet.

Secundò, verba allegata inſtitutionem Regis adſcribunt populo, ac ſi poteſtas imperandi radicaliter aut effectivè hæreat in eligente plebe aut populo, qui populus eam poſtea transferat in unum vel plures, ordinis & conſervandæ ſocietatis causâ. Quod quàm abſurdum ſit, ſupra oſtendimus. Nec quicquam juvat Declaratores, quod obtendunt, in populi arbitrio eſſe, utrum unum vel plures ſibi præficere velint. Utut enim non negem, populum, ſi penes eum electio aliqua fuerit, committere poſſe exercitium poteſtatis uni vel pluribus pro lubitu; falſum tamen eſt, populum inſtituere ipſam poteſtatem legislativam, aut diviſionem poteſtatis inter plures quicquam derogare origini divinæ. Quin imò modus transferendi poteſtatis iſtius exercitium merè humanus eſt, non rarò etiam iniquus; Ipſa tamen Majeſtas, origine ſua eſt & manet divina etiam in peſsimè imperantibus.

Tertiò certum & manifeſtum eſſe volunt Declaratores, Regem, qui Tyrannicè imperet, ſive ut ipſiſsimis eorundem verbis utar, *qui ad ſubditos miſeriis & anguſtiis divexandos proclivus ſit*, poſſe à populo,

populo, ſi ita placeat, repudiari, deque ipſo pro lubitu diſponi. Quod verò quàm falſum, quàm abſurdum, quàmque pernicioſum Reip. ſit, infra commodius explicabimus. Nec enim revocabile & precarium unquam fuit Regnum Angliæ, quale olim Vandalorum erat in Africâ, Gothorum in Hiſpaniâ, aliorumque plurium, quos deponebant populi, quoties diſplicerent, quales recenſet H. Grot. *de jur. B & P.* l. 1. c. 3.

Quartò & hoc falſum eſt, populum, qui ſemel imperanti ſubjectus eſt, ſive per electionem ſive per ſucceſſionem, ſive per tacitum conſenſum aut alio quoquo modo, habere tamen & retinere poteſtatem de Imperante illo diſponendi, utrum Regimen tale continuari, an in aliam novam formam mutari, Regemque ipſum, ut ſceptris renunciet, jubere velit. *Ego vero*, inquit Dio Caſsius, *neque decorum exiſtimo, ut Rector civitatis ſubditis cedat, neque ſpem eſſe ad ſalutem, ſi quod parère poſitum eſt, velit imperare. Cogitate enim quis futurus ſit ordo in familiâ, ſi à junioribus ſenes ſpernantur: unde ſanitas ægrotantibus, ſi non por omnia medicis pareant: quid tuti navigantibus, ſi plebs nautica gubernantium juſſa contemnat.*

temnat. Naturâ quippe id neceſſarium & hominibus ſalutare, ut alii quidem imperent, alii verò pareant. Fruſtra autem ſunt, qui putant, quod vi partum imperium, vi iterum diſſolvi poſsit, quod autem ex voluntate profectum eſt, in eo pœnitere liceat & mutare voluntatem, adeoque ſemper liceat ſubditis, ſi poſsint, Regium imperium iterum declinare. Nam & quæ vi parta primum ſunt imperia, poſſunt ex voluntate tacitâ jus firmum accipere, & voluntas aut ex initio conſtituti imperii aut ex poſt facto eſſe poteſt talis, ut jus det, quod inpoſterum à voluntate non pendeat. prout in Terminis reſpondet H. Grot. *de I. B. & P. pag.* 143.

Quintò nequaquam ſalutare, ſed extremè perniciosum eſt Reip. de mutatione ſtatûs cogitare, aut eandem quoquo modo tentare. Imò intereſt Reip. ut populus, quam ſemel approbavit Reip. formam, nunquam poſthac immutet, aut immutari ſibi patiatur. Nunquam enim iſtæ ſive mutationes ſive converſiones in Rep. ſine inſigni aliquâ calamitate peragi potuerunt, etiamſi vel in meliorem ſtatum reduci contigerit. Cum ergo ſalus Reip. in ejuſmodi negocio ſuprema Lex eſſe debeat, & verò populus ſine aliquo Rectore

eſſe non poſsit, majori ſanè cum emolumento retinetur antiqua & diu recepta Reip. forma, quàm ea in aliam mutatur. *Otii & concordiæ Patrono convenire*, ait Cicero *orat. ad Quirites contra Rullum, defendere ſtatum Reip. qui quoquo tempore ſit.* Similiter Auguſtinus: *eum virum bonum ac civem eſſe, qui præſentem Reip. ſtatum mutari non vult.* & Livius l. 35. *Optimum quemque præſenti ſtatu gaudere.* Quod & Alcibiades apud Thucydidem & Iſocrates adverſus Callimachum prudenter docuerunt. Quælibet enim civitatum Regnorumque mutatio *velut arbuſculæ poſitio aut tranſlatio præſenti curâ opus habet, dum comprehendiſſe egiſſeque altius radices animadvertas*, ut commodè in hanc rem loquitur Strada l. 2. *de Bell. Belg. p.* 53.

Cùm Florentini poſt ejectum Petrum Mediceum, de introducendâ novâ Reip. formâ in Parlamento deliberarent, & Paulus Antonius Soderinus eleganti oratione animos ferè ad popularem ſtatum flexiſſet, Guido Antonius Veſpucius JCtus diſertè contradixit, & quanto cum periculo iſtud fiat, prolixè oſtendit, inter alia ſic inquiens: *che certezza harete voi, che contenti* (ſc. illi, de quibus ante dixerat,

infimæ

infimæ plebis homines, numero valentes, ab omni prudentiâ alieni) *della forma, laquale introdurrete al preſente, non diſordinino preſto i modi prudentemente penſati, con nuove inventioni, & con leggi imprudenti? allequali gli huomini ſavii non potranno reſiſtere: & queſte coſe ſono in ogni tempo pericoloſe in un governo tale* apud Guicciard. *l.* 2. *p.* 43. Appoſitè ſanè. Tam mutabile enim eſt vulgi ingenium & perplexum, ut quid conſtanter velit aut nolit, non facilè intelligi poſsit.

Nec verò quiſquam tam perſpicax, tamque exercitatus in Rebus politicis eſſe poteſt, ut firmiter ſibi perſuaſum habeat, hanc, quam animo ſuo concepit, & non aliam Reipubl. formam ſocietati reformandæ convenire. Dixi enim ſupra, non omnes Reip. formas omnibus ſocietatibus promiſcuè congruas eſſe: ex quo ſequitur, ſocietatem, quæ præter naturam aliquid ſibi parùm conveniens patitur, nec diuturnam, nec ſatis bonam in ſuo genere eſſe poſſe. Eleganter in hanc rem diſſerit Marchio Virgilius Malvezzi in *Tarquin. ſuperb. Non ſono gli huomini, che conſtituis cono le Republiche o uero i Principati, mà una certa natura, ò forza d'intereſſe, che quantunque non conoſciuta, non*

laſcia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

laſcia loro ritrovar quiete, ſine che non gli conduce, dove hanno maggior proportione, in quella guiſa, che auuenir ſuole à gli Elementi, che non ſapendo ove vadano, condotti da un natural iſtinto, non ritrovano mai quiete, per ſino, che non arrivana à quel luogo, che benche foſſe loro naturale, non conoſcevano. L'acqua nella ſua propria sfera non peſa, e i popoli nella loro natural forma facilmente ſi reggono, ne ſi poſſono cavare, ò ritenere fuori di quella, ſenza una violenza poco durabile. &c.

Cum ergò tantis difficultatibus tantiſque periculis expoſita ſit omnis Reip. mutatio, & verò Anglia ſupra mille ab hinc annos à Regibus gubernata fuerit, annon ſatius fuiſſet, Regem quantumvis tyrannicè imperantem tolerare, & de Succeſſore meliora ſibi promittere, priſtinamque adeò Reip. formam retinere, quàm tantos excitare fluctus, tantamque dubio eventu captare rebellionem. *Quomodo ſterilitatem*, inquit Tacitus', *aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua & meliorum interventu penſantur.*

Quin

Quin ſi populo ſemper liceret pro lubitu Reges creare, & creatos poſt aliquod temporis intervallum, ſaltem quia ita placet, repudiare, nunquam non invenirentur Demagogi, qui plebe ſibi conciliatâ, vel ex privato odio vel ex imperandi cupiditate, manu factâ Regem tollerent, ſibique ipſis ſceptra quocunque modo ſumerent. Quantum verò per ejuſmodi ſeditiones detrimenti accipiat Reſp. dicere non tam promptum eſt, quàm ex præſenti Angliæ ſtatu eluceſcit. Nec enim ſimplici tantum morbo laborat Britannia, ſed duplici quaſi, imò verò triplici. Primùm enim Regem ſuum à gubernaculis Reip. remotum, tamque infami ſupplicio affectum dolet & deplorat. Deinde verò filium ipſius primogenitum Carolum II. paterno etiamnum exutum eſſe regno non poteſt non iniquè ferre, & exinde malè ſe habere. Tertium denique omniumque atrociſsimum eſt, quod in multo deteriorem ſtatum, Politicis antea ignotum, ipſaque novitate ſuâ ſuſpectum, militarem ſc. transformatam ſerò nunc ſentiat Rempublicam. Quæ quidem omnia & ſingula talia ſunt, ut ſi non omninò perdere, multum tamen affligere & inſigniter labefactare poſsint Remp. licet florentiſsimam.

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Et neſcio quid boni malive ex tantâ Rerum confuſione Anglis aliquando expectandum fuerit.

Quemadmodum itaque Tutor à Pupillo, Maritus ab Uxore, Miniſter Eccleſiæ à populo vocante, pro lubitu removeri, abdicari & deſeri non poteſt, ſed ſi qua remotio, ſuſpenſio aut divortium locum habere debet, neceſſe eſt, ut poſt cauſæ cognitionem, Superioris, qui jura Territorii & Epiſcopalia habeat, aliqua promulgetur ſententia: Ita neque Rex à Subditis ſuis removeri, multò minùs capitis damnari poteſt, quod & ipſe ſit omnium ſupremus, & alium ſupra ſe non habeat, coram quo conveniri & qualiſcunque delicti poſtulari queat. Faceſſant ergò iniqui Regiæ Libertatis Cenſores, & diſcant venerari Majeſtatem, quæ uti à ſolo Deo immediatè originem ducit, ita non minùs immediatè eidem ſubeſt, nec plura ſibi arrogent, quam pietas, æquitas & ipſa denique juſtitia permittit.

Sed ponamus tamen, Regem jure occidi, ſi eos, à quibus electus fuit, vel ſecundùm jura conceſſa non protegat, vel in ipſorum perniciem imperium ſuum vertat, omnique afflictionum genere miſeros faciat, manet nihilominus difficultas, quota pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ta pars populi offenſa aut afflicta eſſe debeat, antequam jure in Regem animadverti poſsit, *poiche li conviene haver cura non ſolo de ſuoi ſudditi in generale, ma anco di ciaſcun d'eſſi in particolare, indivizzandoli per la via della Religione & della giuſtitia & guardandoli da ingiurie & da mali &c.* ut loquitur Girolamo Frachetta *in Prencipe p.* 1. Totum autem & univerſum populum tam infenſo & inimico in Principem ſuum animo eſſe poſſe, ut non aliqui ſubinde ipſius partes ſequantur, alioſque inſuper poſt ſe trahant, nobis non videtur uſquequaque probabile. Ferdinandus Vaſquius *l.* 1. *controv. illuſtr.* 18. Principem, ait, qui uni innocenti inter ſubditos actu verſanti inſultet, deſinere eſſe Principem ipſo facto. Quod ſi ergò deſinit eſſe Princeps, idem ſanè juris in eum ſtatuendum veniet, quod in alium quemcunque privatum ejusdem delicti reum. Quo ſanè an quicquam majori cum periculo dici poſsit, valdè dubito. Nec enim deerunt, qui, ſi minus obtinuerint, quam in votis habuerunt, injuriam ſibi à Principe factam conquerentur, & ad vindictam reliquum populum ſollicitabunt, adeoque ad cujusque libidinem proſtabit ſanguis regius. Ut taceam,

quam

quam iniquè, quam injuſtè, quam impiè & contra ipſam divinam Scripturam iſta talis Politica populo proponitur. Et quanquam concedamus, ſalutem Reip. à ſingulis propter ſeipſos & propter privatam ſalutem experi, non tamen inde ſequitur, privatam ſalutem toti Reip. ejuſque ſaluti præferri debere. Rectè enim Plato *Legum IV. Quod commune eſt, connectit civitates, quod ſingulorum diſſipat. Quare & publicè & privatim utilius eſt, ut publica magis quam privata curemus.* Et Jamblichus; *Non disjuncta eſt privata utilitas à publicà, imò in Bono communi ſingulare etiam continetur: & ut in animalibus cæteraque Naturâ, ita in civitatibus in totius Salute ſalus eſt partium.* Et prudenter Pericles apud Thucydidem *l.2. Qui domeſticas fortunas benè collocatas habet, patriâ tamen eversâ, pereat & ipſe neceſſe eſt. Contra verò etiamſi quis in beatâ Rep. parùm felix eſt, multo tamen facilius per illam incolumis ſervatur. Quare cùm civitas quidem ſingulorum poſſit ſuſtentare Calamitates, ſinguli autem publicas non item; quid eſt, cur non univerſim ipſi conſulere, ipſamque tueri oporteat, nec id facere, quod vos facitis, dum quaſi attoniti jactura rei familiari-*

miliaris, ſalutem proditus Reip. Privatum ergo unum itemque alterum à Principe malè habitum non ſufficere ad hoc, ut juſta in Regem feratur ſententia, hactenus oſtendimus.

Sed nec ſufficit, ſi vigeſima, decima, octava, ſexta, quarta, tertia aut etiam ipſa dimidia pars populi tales injurias ſibi à principe illatas cauſetur. Utut enim non parum labefactetur Reſp. tali regimine, utut etiam ſubditorum utilitas, quæ tamen Principi quam maximè commendata eſſe debet, poſtponatur, non tamen ſtatim res ipſa deficit, cujus utilitas aliquâ in parte deficit. Poteſt nempe Princeps à reliquâ vel majori vel æquali parte omnem obſequii & amoris cultum obtinere, illique bonâ cum gratiâ præeſſe, an ergo reliqua illa pars privanda eſt tanto bono? an, quia dimidia populi pars erga Regem malè affecta, in qua ſine dubio plurimi ex ſolâ regnandi libidine, plurimi ex ſtudio novitatis, plurimi ex maleſano de Rege conceptu, plurimi alii ex immaturâ ob datas & juſtè ſibi inflictas pœnas vindictâ nomen ſuum profitebuntur, an, inquam, quia dimidia iſta populi pars in vitam & ſceptra Regis ſui magno agmine involat & ſævit, altera illa non corrupta, non laceſsita,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ceſsita, non afflicta, ſed præſenti regimine contenta Regem hunc ſuum, quem ex animi ſententiâ habet, poſthac non habebit? quo jure iſtud ab ea exigetur, ut in Regis ſui Optimi necem conſpiret & conſentiat? ſiquidem quid ex ſecuturâ Regiminis formâ expectandum habeat, annon pejor ea præſenti rerum ſtatu futura ſit, juxta cum ignariſsimis neſciat. Bardum omnique ſenſu & judicio deſtitutum oportet eſſe eum, qui cum de præſentibus & benè cognitis conqueri non poſsit, ea tamen rejicere & inter dubios rerum nondum exploratarum ſucceſſus verſari mavult, quàm novatoribus contradicere, fidemque Superiori datam ſervare. Statuamus tamen, conſentire debere partem illam dimidiam in conſpirationem adverſus Principem, ſaltem ideò, ut fratribus ſuis eâdem lege ſubjectis & vim patientibus commune ferat auxilium, debitumque charitatis officium præſtet, annon verò, ſi Princeps opprimi forte & vinci non queat, multo duriorem ſervitutem ſubibit integer populus, quàm antea una tantùm, nec niſi dimidia ejus pars? Eſto tamen, ſuccumbat Princeps, & alius in ejus locum ſufficiatur, aut omninò in aliam formam tota Reſp. vertatur; Quæritur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tamen, ſi votis alterutrius partis iſta mutatio non uſquequaque reſpondeat, parsque illa, quæ in ſententiam ante tracta fuit, iſtam regiminis ſpeciem ſibi minimè placere doceat, an non tum viciſsim pars altera & reliqua, quæ prior iſtam in re communi metamorphoſin machinata fuit, denuò in Principis noviter electi necem conſpirare, aut in novam Reip. mutationem conſentire, totieſque parricidia & Status communis inverſiones iterare debeat, donec inter tot rerum viciſsitudines utraque pars in conſtituto à ſe imperio acquieſcat. Πέρας δὲ ποῖ κακῶν προβήσεται.

Sed quid ſi major populi pars, duæ videlicet, tertiæ, aut tres quartæ de toto & integro contra Regem inſurrexerint, reliquis & numero & potentiâ inferioribus in diverſa euntibus, tùm forte juſtum erit bellum, quod hoc modo à Subditis movetur, aut judicium, quod in Regis caput ſententiam dixerit? At enim ne ſic quidem omnis difficultas ſublata erit, etiamſi ex hypotheſi diſputemus & tantiſper concedamus, Principem malum & iniquum removeri aut interfici jure poſſe & debere. Uti enim in populo ſunt prudentiſsimi, prudentes, minus prudentes, ſimplices,

plebeji & naturâ quaſi ſervi, ita ſi in minore populi parte fuerint prudentiſsimi & prudentes plurimi, & hi omnes à Principis partibus ſteterint, anne tùm penes majorem partem, penes plebejos ſc. penes ſtupidos iſtos & ſerviles animos, numero tantùm tremendos, negocii ſumma relinquenda eſt, ut ab ipſis ad arbitrium decernatur? Atqui prudentia gubernatur Reſp. non numero hominum, illâque deficiente tantum abeſt, ut commune Bonum conſervari poſsit, ut potius ipſa tota Societas diſsipetur, & quid ſibi proficuum ſit, definire amplius neſciat. Quod ſi verò dicta major pars non numero ſolùm ſed prudentiâ etiam & politicarum rerum uſu vicerit alteram, quæ cum Principe ſentit, utique tantum ipſi in ordinandâ Rep. concedi debet, quantum ad Rationem Status pertinere viſum fuerit. Pertinere autem eò videtur, ut eos omnes, qui communi bono ſive conſilio, ſive auxilio, ſive conſenſu, ſive ipſo denique facto quicquam detraxerint, adeoque & Reges tales, liberam puniendi habeant poteſtatem, ſtante nimirum illa ſententia, quemvis imperantem à populo in ordinem cogi & ab eo judicari poſſe. Sed tamen nec tùm quidem omnis difficultas ſuperata erit. Diſputa-

ſputabitur nempe inter ipſas partes, utrum revera penes hanc, an verò penes illam prudentia, de qua diximus, inveniatur. ecquis enim litem hanc, ſi exorta fuerit, dirimere poterit? quis ſibi iſtam judicandi poteſtatem ſumet? Diſputabitur, utrum ex commodo Subditorum ſit, præſentem Reip. formam penitus abolere, novamque in illius vicem introducere. Diſputabitur, qua pœna, quo ſupplicio afficiendus ſit Rex, ut ne juſtitiæ limites nimio rigore moveantur, & Reformatoribus aliqua fortè Tyrannidis aut Rebellionis nota inuratur. Hæc & ejuſmodi alia longâ diſceptatione in dubium ante vocabuntur, quàm aliquid certi definire licebit. & fortaſſe nunquam licebit, cum nunquam minùs ſibi conſtare poſsit plebs, tot capitum hydra, quàm ubi ad ſuffragia ferenda liberam ſibi relictam inaudierit poteſtatem. Sed de his aliàs plura. Pergimus ad alia.

EXERCITATIO IV.

Rex Carolus, etiamſi pacta quædam inaugurationis tempore, etiam juratò promiſſa, non ſervaſſet, non tamen propterea judicari & condemnari potuit, nec debuit.

MAxima & potentiſsima totius Orbis Terrarum regna tùm demum firma eſſe creduntur, ſi jurejurando interpoſito arctior quidam inter imperantem & parentem fiat nexus, quod juramentum tàm ab imperante, quàm à Subditis inaugurationis tempore ut plurimum præſtari ſolet. Sed hoc intereſt inter juramentum Subditorum & Regum, quod illi Regi jurént fidelitatem & obedientiam, fideles exinde dicti; Reges autem nec obedientiam nec fidelitatem jurent populo, ſed ſe ſubditos ſuos eſſe defenſuros, Regni commoda quæſituros, & ſecundùm Leges imperaturos. In iſta ferè capita jurant Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Ungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, & qui non? ipſe denique Imperator Romanus. Nec dubium eſt, multos per ejuſmodi juramentum ad officii ſui carceres revocatos eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

qui aliàs ex cæcæ rationis impetu & regnandi libidine ad peſsima quæque, ipſoſque adeò Tyrannidis fines excurrerent, cum difficile ſit in ſumma illa fortuna non abripi licentiæ ventis. Placuit ergò ipſis Imperantibus tale veluti frenum conſcientiis ſuis injicere, ut per ſuperioris ſui, Dei videlicet, metum & timorem intra terminos cohiberentur, utique conſcientiæ ſaltem ratione ducti in Regno ſuo nihil agerent aut permitterent, niſi quod æquum, juſtum, & bono publico ſalutare videretur.

Fruſtra autem quis inde efficiet, tale juramentum tollere, deſtruere aut labefactare ſummum imperium, quanquam diſſimulandum non ſit, arctiùs quodammodo iſtud reddere, licentiamque imperantum nonnihil conſtringere. Poteſt enim quis ſummum obtinere imperium, etiamſi promiſerit populo aut magis DEO, cujus nomen in juramentis invocare ſolemus, etiam talia, quæ ad imperii rationem pertineant. Nec verum eſt, quod ipſo jure fit, ob antecedaneam promiſsionem, id ſtatim ex vi ſuperiore naſci. Rex enim, quando jurat populo, non jurat ei ut ſuperiori, nec ab eo tanquam ſuperiore cogi poteſt, ut promiſſa ſervet, & quod juravit, ſanctè

ſanctè deinceps exſequatur; quanquam, ſi promiſsis ſuis ſteterit, jure id fieri, ambabus largiamur, eò quod promiſsio & juramentum obligent jam Regem in ſua conſcientia. Unde Hugo Grotius l. 2. de J. B. c. 14. n. 6. rectè aſſerit, ex actibus & contractibus Regis, tàm regiis quàm privatis, naſci actionem, nempe ut declaretur jus Creditoris; coactionem tamen ſequi non poſſe, ob ſtatum eorum, quibuscum negocium eſt. *Nam ſubditis*, inquit, *cogere eum, cui ſunt ſubditi, non licet, ſed æqualibus in æquales id jus eſt à natura, ſuperioribus in ſubditos etiam ex Lege.*

Iſtud autem juramentum non magis eſt de ſubſtantia legitimæ poteſtatis, quàm benedictio Eccleſiaſtica matrimonii formam & eſſentiam ingreditur; quanquam JCti non ſatis conveniant, utrum benedictio hęc ita neceſſaria ſit, ut liberi ex copula ſine benedictione contracta pro illegitimis haberi, nec ad ſucceſsionem Patris cum reliquis liberis admitti debeant. Quicquid tamen hujus ſit, etiamſi neceſſitatem benedictionis Eccleſiaſticæ fortè admittamus, negamus tamen ipſam eſſentiam Matrimonii per talem benedictionem conſtitui aut abſolvi. Pari ergò modo juramentum non conſtituit Regem,

nec facit, ut Rex tùm demum, quando juraverit, ſummam accipiat poteſtatem; Sed uti Reges etiam ante coronationem veri Reges ſunt, & coronatio tantùm ſolennitas eſt, quæ non facit Regem, ſed decorat: Ita nec Sacramentum, quod Rex coronationis tempore præſtat, ipſi regnum dare poteſt, & propterea ita neceſſarium non eſt, ut Rex eſſe non poſsit, niſi qui juraverit. Quid, quod actus coronationis, quo ut plurimum præſtari ſolet juramentum, in multum nonnunquam tempus differatur, ut annus etiam unus itemque alter non rarò intercurrat, an verò Regem propterea Majeſtatem per id temporis ſpacium nondum plenè obtinere credamus? aut num eum verè Regem eſſe negemus? Ἄτοπον!

Angliæ autem Regnum hæreditarium & ſucceſsivum non eſſe, ſed ex populi arbitrio Sceptra penes hanc vel illam familiam relinqui, ab eâ iterum auferri & alteri conferri, ſtatum etiam ipſum Reip. mutari poſſe fruſtra ex juramento hoc à Regibus ſuis præſtari ſolito conficient Declaratores. Ut enim nunc taceam, quod in hereditariis perinde ac Electivis Regnis, uti vocantur, Imperantes inaugurationis tempore verbis conceptis jurare

 ſoleant,

ſoleaut, id tantùm nunc principaliter tenendum eſt, in hæreditariis Regnis, quę ut plurimum ab uſurpatione initium ſuum habent, Imperantes Genti devictæ, ut cum bonâ gratiâ ipſi præeſſe, ſibique cum lubentiâ quadam obedientem reddere poſſint, quædam nonnunquam privilegia largiri, illaque jurejurando addito confirmare, & hujus rei exemplum ſequi deinceps Succeſſores. Nec tamen propterea Majeſtas Principis vel evacuatur, vel abſorbetur, vel quicquam ei detrahitur, vel populo quædam ſuperioritatis prærogativa adſeritur; Sed intemerata manet & illæſa ſumma poteſtas, ſola victoriæ aut licentiæ amplitudo ejuſmodi juramento nonnihil coarctatur.

Ita ſcil. Guilielmus Conquæſtor (prout ſupra ex Bacono de Verulamio diximus) licet Victoris jura reipſa exerceret, verbo tamen abſtinuit: neque hoc jure ſe regnum tenere unquam profeſſus eſt, ſed illud, titulari quodam prætextu, velavit in Teſtamento Eduardi Confeſſoris fundato. Cumque peractâ victoria Tyranni nomen exhorreſceret, & legitimi Principis perſonam induere amaret, à Stigando primùm Cantuarienſi Epiſcopo, & hoc renuente (ſive ipſo recuſante Guilielmo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

quod multa & horrenda crimina de Stigando prædicarentur, ut habet Eadmerus *hiſtor. novorum lib.*1.) ab Aldredo Eboracenſi Archiepiſcopo *ſolenniter conſecrari voluit.* Tali modo Aldredus hominem *ferociſſimum mitem reddidit*, (non cogendo ſed perſuadendo, ipſo ſc. Guilielmo ſua ſponte ad mitiorem naturam magiſque Regium imperium proclivi) *& religioſis pro conſervandâ Rep. tuendaque Eccleſiaſticâ diſciplinâ ſacramentis adſtrinxit*, uti id prolixius narrat Guilielmus Neubrigenſis *l.*1. *hiſt. c.*1. Cumque Angli precarentur, ut liceret ipſis ſecundùm Leges avitas & imprimis ſecundùm Leges Eduardi aut potius hujus avi Edgari vivere, non difficulter hoc ipſis permiſit Guilielmus, quod accuratè notavit Eccleſiæ Lichfeldienſis chronici M. S. autor apud Seldenum. Nec aliud innuunt verba Matthæi Pariſii in *vita Fretherici* Cœnobiarchæ & Abbatis S. Albani, *quando Regem*, ait, *ſibi timere cœpiſſe, ne totum Regnum, quod tanti ſanguinis effuſione acquiſierat, turpiter amitteret, mitius proinde cœpiſſe agere cum Regni primatibus, ea quæ pacis ſunt humiliter rogitando, & ſerenâ facie vocaſſe eos ad pacem. Illos deinde pacem acceptaſſe, Re-*

gem

gem verò in Leges Edvvardi juraſſe, &c.

Pari modo Henricus VII. *haud immemor* (recito verba Baconi ex p. 23.) *quantum Regi periculi immineat à ſubditis ſuis, cùm maxima pars eorum ſibi conſcia ſit, periculum ſibi imminere à Rege--ſecum reputabat, rebus ſuis conveni-re, ut morâ omiſsâ manifeſtum populo ſuo fieret, ſibi in animo eſſe ex norma legum ſuarum regnare, licet in ore Gladii ingreſſus eſſet. Nec minus ut aſſuefaceret ſubditos, pro Rege eum venerari & recognoſcere, quem modo pro hoſte & Exule ducebant, &c.* Itaque poſtquam jam ab alba ad rubram Roſam, ab Eboracenſi ad Lancaſtrenſem familiam in perſona ſua vi Belli iterum transtuliſſet, maluit titulo Lancaſtriæ veluti hæreditario niti. Cumque non neſciret, à Parlamento titulum iſtum jam pridem damnatum & totius populi præjudicio excluſum, titulum autem, quem per nuptias ex Familia Eboracenſi acquiſierat, populo quidem magis acceptum, ſibi autem nec decorum, nec commodum, titulũ armorum autem ſibi minus tutum eſſe, verbis ita ambiguis & nutantibus ſtatutum de Stabilimento ſuæ Coronæ in Comitiis conſcribi voluit, ut etiam prudentiſsimos deciperet, tantùm

ut ne exoſus fieret Britannis, ſi titulo ipſis parùm grato imperaret.

Multum verò ad intellectum & explicationem hujus rei facit exemplum Trajani Imperatoris, qui Conſul renunciatus, more privatorum Conſulatum auſpicantium jurare voluit, cum tamen Principes aliàs injurati eſſent & magiſtratûs eo tempore judiceſque ſimul omnes in Principis verba jurarent. Adſcribam autem ipſa Plinii verba ex Panegyrico: *Peracta erant ſolemnia Comitiorum ſi Principem cogitares, jamque ſe omnis Turba commoverat, cum tu mirantibus cunctis accedis ad Conſulis ſellam: adigendum Te prabes in verba Principibus ignota, niſi cum jurare cogerent alios.---Stupeo P. C. necdum ſatis aut oculis meis aut auribus credo: atque identidem me an audiverim an viderim, interrogo. Imperator ergò & Cæſar & Auguſtus, Pontifex Maximus ſtetit ante gremium Conſulis: ſeditque Conſul Principe ante ſe ſtante: & ſedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri ſoleret, quin etiam ſedens prabuit jusjurandum, & ille juravit, expreſſit, explanavitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, deorum iræ conſecraret: Ingens Cæſar, & par*

par gloria tua, ſive fecerint iſtud poſtea Principes, ſive non fecerint. Vllane ſatis prædicatio digna eſt idem tertio Conſulem feciſſe, quod primo? idem Principem quod privatum? idem Imperatorem quod ſub Imperatore? Neſcio jam, neſcio pulchriuſne ſit iſtud, quod præeunte nullo, an hoc, quod alio præeunte juraſti: in roſtris quoque ſimili religione ipſe te legibus ſubjeciſti: legibus Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: ſic fit, ut nos Tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum diſco, non eſt princeps ſuper leges, ſed Leges ſupra Principem: idem Cæſar Conſuli, quod cæteris non licet, jurat in legem attendentibus diis, nam cui magis quam Cæſari attendant? jurat obſervantibus his, quibus idem jurandum eſt: non ignarus alioqui nemini religioſius quod juraverit cuſtodiendum, quàm cujus maximè intereſt non pejerare, &c.

Quemadmodum ergò Trajanus, ut ſe *talem Imperatorem privatis futurum eſſe oſtenderet, quales eſſe ſibi Imperatores privatus optaſſet*, prout loquitur ipſe apud Eutropium, ſua ſponte, nemine cogente, admirantibus univerſis ac ſingulis, coram Conſule ſedente verbis conceptis jurare voluit,

voluit, nec tamen quicquam propterea de Majeſtate ſua perdidit aut amiſit: Ita quando vel ipſe Guilielmus Conquæſtor vel ipſius Succeſſores ſua ſponte per jusjurandum aliquod ſe obligarunt (Victorem enim à populo victo cogi poſſe ut juret, nemo ſanus dixerit) non propterea illi minores, aut populo obnoxii facti fuerunt; ſed conſcientiam tantùm & fidem ſuam ad hoc vel illud præſtandum aut faciendum obſtrinxerunt, quam ſcilicet Vir bonus ſubleſtam aut ſuſpectam fieri nunquam permittet.

Reges Perſarum, cum Regnum adirent, ſimiliter jurabant, quin & ipſis inſuper Leges certâ quadam formâ latas mutare nefas erat, quod ex Danielis hiſtoria, & profanis aliis oſtendi abundè poteſt, nec tamen illi deſinebant αὐτοκρατεῖς eſſe καὶ ἀνυπεύθυνοι, ut eos vocat Plutarchus, ſed nihilominus ſe μεγάλους βασιλέας appellari volebant, nomine ita à Cyro prius introducto, veluti notat vetus *Scholiaſtes* Ariſtophanis, & Gerhardus in *Pluto p.* 18. Regnique Proceribus dicere ſolebant: *Ne viderer meo tantùm uſus conſilio, vos contraxi. caterùm mementote, parendum vobis magis eſſe, quam ſuadendum.* Similia de Regibus aliis pluribus proferre poſ-

ſemus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſemus, ſi quidem opus nunc eſſet in ejuſmodi rebus perſpicuis ulterius diſtineri. Patet id inſuper ex Statu Oeconomico, ubi Paterfamilias ſummam, qualem ipſi permittit familia, poteſtatem non amittit, etiamſi quædam ad gubernationem familiæ pertinentia ſe facturum promiſerit. Patet ex ſtatu Conjugali, ubi Maritus ſuperioritatis jus, quod in Uxorem habet, nunquam in illam transfert, aut eo privatur, quando Uxori ſuæ nonnulla, etiam interveniente juramento, promittit. Quin imò Deus ipſe fœdus cum Eccleſia percuſſum jurejurando per ſemetipſum in nomine ſuo præſtito aliquoties confirmavit. *Gen.* 22. 16. *Ier.* 44. 26. *Eſ.* 62. 8. Ecquis autem Dei Majeſtatem infirmari ejuſmodi juramento dixerit? Cum ergò Principis Regimen, quod à Deo opt. Max. dependet, ipſius regimini, quoad fieri poteſt, conformari debeat, jura Regia & majeſtatem per ejuſmodi juramentum infringi, minui, evacuari vel abſorberi nemo ſibi perſuadeat, niſi fortè capitula, quæ in juramenti formula præſcribuntur, ipſum quaſi Majeſtatis jugulum petant.

Quæritur autem, ſi Rex promiſsis ſuis non ſteterit, utrum tùm cadat Regno, & à ſubditis ſuis, ſi cedere nolit, ferro cogi debeat,

debeat, ut cedat? Et hoc ipſum negamus, etiam de Regno electivo, uti vocant, niſi fortè in Electione aut delatione Imperii expreſsè dictum fuerit, ut certo eventu reſiſti Regi poſsit. Sed etiam hîc negativam tuetur ſententiam autor *Defenſionis Regiæ cap.* 7. Nos hîc ſubſiſtimus & malumus ferè ab Hugonis Grotii partibus ſtare, qui *lib.* 1. *de jure B. & P.* fidenter aſſerit, Regi eo caſu rectè reſiſti. Etiamſi enim eo pacto pars imperii retenta cenſeri non poſsit, retentam tamen eſſe aliquam libertatem naturalem & exemptam Regio Imperio. Majeſtatem autem ſuam valdè imminunt Reges, qui eos poteſtati ſuæ limites ponunt, ut ſi juramentum violent, omnem mox ipſis obedientiam renuncient Cives, aut, ut Subditis adverſus ipſos coram Senatu experiri liceat, ſi injuriâ ab ipſis affecti fuerint. Nec enim Politicus, qua talis, æquo animo feret aut laudabit factum Stephani Batorii Regis Poloniæ, quando ille inaugurationis tempore Proceribus Regni juravit, ſe religiosè ſervare velle jura, libertates, privilegia à Regibus Deceſſoribus & à Caſimiro præcipuè, Ludovico Magno, Vladiſlao I. Jagellone, Johanne Alberto, Alexandro, Sigiſmundo I. Sigiſmundo II. Auguſto,
Hen-

Henrico ſacramento firmata; addito, ſiquidem ea ullâ in parte violaret, *ut ab omni jure, quod in Regno habebat, excideret, & Proceres à fide & obedientia, quam ei ut legitimo Regi debent, ſolverentur,* referente Thuano, *Lib.* 62. Tale, inquam, juramentum multum detrahit Majeſtati Regiæ, & Demagogis ſemper idoneam præbet cavillandi materiam, quam ubiubi poſſunt, plebi inſtillant, Regemque adeò ſubditis, ſuis iſtis artibus, exoſum reddunt. Quo ipſo non rarò evenire ſolet, ut Principes etiam Optimi abdicare ſe imperio teneantur, niſi fortè à tumultuante multitudine vi & armatâ manu dejici malint.

Utut autem per ejusmodi juramentum conditionale Populo aliquam libertatem & poteſtatem contra Regem inſurgendi relictam concedamus; negamus tamen, Regem propterea à populo in judicium trahi poſſe, & jure ordinario interpellari, ut pactionem ſervet. Idque conſtare putamus ex eo, quod ſupra diximus, Regem ſemper eſſe ſuperiorem populo, nec in toto Regno ſuo habere parem, coram quo accuſari poſsit. Sed non opus eſt hiſce talibus immorari, cum in Regis Caroli juramento nihil quicquam ejusmodi inveniamus. Quod verò ipſi objiciunt Regicidæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

cidæ, detracta fuiſſe ab eo ex juramenti formula verba quædam ſolennia, cum inaugurraretur & juraret, id ſanè neſcio utrum tantorum motuum cauſa ſatis idonea eſſe poſsit, & annon, quemadmodum integrum eſt Regi, præſertim hæreditario, jurare aut non jurare, ita ſimiliter integrum ſit verba juramenti uſitati mutare, omittere, ſupplere, interpretari, novamque prorſus formulam pro re natâ ſubſtituere. Qui enim, ut conſuetudini & populi deſiderio ſatisfaciat, ad quod cogi non poteſt, ad illud ultrò ſe demittit, quo minus mutare id aut prorſus intermittere poſsit, nihil hactenus impedit. Nec verò Parlamentum eſt, quod Regi juramentum ab initio præſcripſit, quanquam id poſtea non unis vicibus affectârit, quo jure? non diſputo; Sed ipſe Guilielmus Conquæſtor, poſteaquam totum Angliæ Regnum armis occupaverat, ex mera indulgentia, ſine coactione, in reſpectu ad ſolius juſtitiæ adminiſtrationem juramentum præſtitit, eoque ſibi ſubditos ſuos obedientiores & fideliores reddere voluit. Quod deinceps juramentum ſi a Succeſſoribus quoque præſtitum fuit, id non ex debito, ſed ex mera gratia factum fuiſſe, facilè ex dictis liquet.

EXER-

EXERCITATIO V.

Rex Angliæ eſt ſuperior ipſo Parlamento, & hoc ab illo ſuam habet autoritatem.

PArlamento illi, quod Pananglium ad exemplum Panætolii Liviani vocat Cambdenus *in Britan. p.* 141. meritò ſuam relinquimus autoritatem, utpote in quo tanquam cœtu Principem populumque complexo omne id commodè tranſigi ſolet, quicquid in centuriatis comitiis populus Romanus efficere potuiſſet. Regem tamen ipſo hoc Parlamento ſuperiorem eſſe, ex eo inprimis clarum evadit; quod nulla conſtitutio aut decretum ab utraque licet domo approbatum ſubſiſtere poſſit, niſi Princeps ipſe ultimo conſeſſus die auguſtam purpuram indutus aſſenſu ſuo confirmet, uti nos ſatis perſpicuè docet Thomas Smith. *l.* 1. *de Rep. Ang. c.* 3

Ut verò ſigillatim conſtet, quantâ Majeſtate & poteſtate polleat Rex Angliæ, & quouſque ipſius imperium ſeſe extendat, pergit ibidem Smithius & *cap.* 4. ordine recenſet, habere Regem ſummam pacis bellique denunciandi poteſtatem, in ca-

ſtris

ſtris quoque & militiâ nullis Legum repagulis coërcitum eſſe; ab ejus autoritate pendere publicam Monetæ æſtimationem: penes eum, ubi æquitatis benignitas moderationem patitur, Leges relaxandi, & gratiam pœnæ in delictis faciendi jus eſſe, ab ejus donatione primaria & ſuprema Officia & Regni munera emanare, aliaque Regalia plura, ipſamque ſubditorum vitam & membra ad ſolum Regem pertinere, ut clarum ſit, jurisdictionem modicam nedum maximam cuiquam, præterquam Regi, competere nemini, adeoque vitam, caput & autoritatem in Principe eſſe omnium, quæ in Rep. Anglicana geri ſolent. *Capite* autem *quinto* diſertè ait idem, poteſtatem Leges condendi & cenſum publicum procurandi competere Regi in Parlamento; Belli verò negocia & Magiſtratuum creandorum rationem ab ejus abſolutâ autoritate peragi. Quin ſi Johanni Botero *in Relatione ſua de Regno Angliæ* credimus: maxima negociorum pars, quæ antea ad Parlamenta ſpectabant, deciduntur nunc in Regis Conſeſſu privato. Parlamenta autem, quæ ad moderandum & tanquam Regula Regum appetitus coërcendum, inſtituta ſunt, convocantur nunc, ut autori-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

toritatem concilient, coloremque inducant Regum voluntati.

Digna ſunt verba Philippi Honorii *in ſimili Relatione de Regno Britanniæ*, quæ hîc adſcribantur, & vice Commentarii ad Boteri verba legantur. Ita autem ille: *Quoniam aliquando materiæ quædam publicæ accidunt, quæ ad bonum ſive etiam detrimentum Regni ac ſubditorum ſpectant, v. g. Legem novam conſtituere, alias examinare vel reprobare, pecuniam ad bellum aliquod jam ſtatutum imperare, vel ſimilia ad Remp. pertinentia providere, tunc in ſimilibus caſibus conſueverunt Reges, modeſtiæ gratiâ, antiquam conſuetudinem ſervare, ut ſcil. Parliamenta convocent, in quibus Regni ſtatûs & ordines tres congregantur, h. e. Clerus, Nobiles & Populares, ut ab hiſce examinato negocio, quo de agitur, à Regibus deinde eorum Decreta confirmentur aut reprobentur. Et quanquam antiquitus hæc Parliamenta auctoritate & libertate potiebantur, ut Reges potius politica & civilia capita fuerint, quàm Domini & Monarchæ; tamen ab Eduardo III. ad hæc usque tempora Regum auctoritas adeò munita eſt, ut hodiè Parliamenta Regiarum magis cupiditatum lar-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

væ quædam ſint, quibus in rerum dubiarum Conſultationibus laborem & incommoda; in periculoſis autem rebus damnum ſubterfugiunt, quàm ut per ea poteſtatem ſuam moderari velint; nam in iis quicquid conſulitur aut decernitur, nihil validum eſt, niſi regia accedat confirmatio: Quin etiam non modo quicquam decernere, aut quemcunque actum facere nequeunt, ſed ne congregari quidem poſſunt, niſi nutu regio; ſolentque Reges ad ea quoslibet admittere, atque ab iisdem removere, &c.

Ex quibus omnibus id tandem evincimus, Regem ipſo etiam Parlamento ſuperiorem eſſe; an verò iſtam poteſtatem vel ſuperioritatem, ſi ita loqui licet, ab initio habuerit, an verò ſucceſſu temporis ſibi ſumpſerit, de eo quidem pluribus diſceptare opus non eſſet, quandoquidem, ut Subditi ad obedientiam obligentur, ſufficit ſola poteſtas Regia, & quod ſit aliquis, qui de præſenti imperium obtinet, undecunque & quomodocunque illud obtinuerit. Quod ſi enim nemo ſubditus teneretur obedire Poſſeſſori, antequam hic titulum acquiſitionis ſuæ ab omni contradictione liberaſſet, vereor ſanè, ne quamplurimæ etiam inter Chriſtianos Socie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

cietates civiles intercidant. Quemadmodum ergò Subditi obedientiam ſuam denegare ideò non poſſunt, quia de titulo Imperantis ipſis non ſatis conſtat: ita multo minus denegare poſſunt, ſi imperans fortè nimium exorbitet, ſuosque fines juſto prolixiores faciat.

Sed enim nec demonſtrari poteſt, Reges Angliæ multò plura ſibi ſumpſiſſe, quàm ab initio habuerint, auctaque adeò Regum poteſtate identidem minutam fuiſſe autoritatem Parlamenti, nec id quoque concedi poteſt Botero & Honorio, Parlamentum Angliæ ideò inſtitutum fuiſſe, ut Regum appetitus coërceatur. Ut enim ultimum hoc primo loco confutemus, nititur id falſo iſto principio, quo Regicidæ etiam primis ſtatim lineolis ſuæ Declarationis utuntur, Angliæ ſcil Parlamentum Communitatis ſeu Populi, quem repræſentat ſuffragiis conſtitutum & electum, atque ab eodem ad bonum publicum conſervandum & cuſtodiendum publicâ autoritate armatum fuiſſe. Quanquam enim non negemus, ad bonum publicum conſervandum & cuſtodiendum Parlamentum conſtitutum fuiſſe; id tamen à populo factum conſtanter negamus. Idque ut probemus, notandum ante

omnia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

omnia, nos in hoc negocio omne rerum initium à Guilielmi Conquæſtoris temporibus arceſſere debere. Cùm enim ejus poſteri ex Normannicâ gente, hactenus continuâ & non interruptâ ſerie, Monarchiam Britannicam tenuerint, & verò quomodo aut quo jure eam ſibi vendicent, à Declaratoribus ferè pro principio omnium ſuarum actionum aſſumatur, conſequens eſt, ut & nos ſemper ad illud reſpicere opus habeamus, ne fortè longiùs quàm par eſt, in anteriora tempora evagemur. Quis autem inter bello captos tantæ ſive dementiæ ſive audaciæ eſſe vellet, ut Regi victori quoſdam ex ſuo ordine homines adjungeret, imò præficeret qui ſcil. Regium appetitum moderarentur & quaſi normam rerum gerendarum præſcriberent. Non puto, quenquam ita temerarium futurum, qui id ſecum conſtituere poſſet. *Ius belli eſſe, ut, qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent*. rectè reſpondit Cæſari Arioviſtus, apud Cæſ. *de Bell. Gall. p. p.25*. Fuit autem Guilielmus Victor; Angli victi & bello capti: Illius Succeſſores ſemper Reges in avitum & ſummum Guilielmi jus ſuccedentes, Horum ſemper Subditi, Regibusque eâdem, quâ Guliel-
mo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

mo Patres, obedientiâ obſtricti. Quomodo ergo aut quo jure hi Parlamentum aliquod, & quidem tale, quod ipſum Regem cohiberet, ipſiusque appetitum coërceret, inſtituere potuerunt? Nihil ergò nos moveant verba Philippi Honorii, quando Reges olim potius politica & civilia capita, quàm Dominos & Monarchas fuiſſe nobis perſuadere vult. Imò verò, cum Domini olim fuerint & Monarchæ, noviſsimis temporibus ita acciſa eſt ipſorum poteſtas, ut vix digni haberentur, qui politica & civilia capita dicerentur.

Concedamus autem, fuiſſe jam tum Gulielmi tempore in Regno Angliæ Conſeſſum quendam Procerum, ordinariumque Conventum, qui de bono publico & rebus communibus deliberarent, an propterea, quod populi & commune bonum quærerent, à populo electos dicamus? Minimè verò. Sed uti omnis ferè Princeps conſiliarios ſibi ſumit & deſignat, quoscunque aut quotcunque vult, populo etiam inconſulto, ita dubitandum non eſt, Guilielmum quoque ſibi Conſiliarios quosdam elegiſſe, quorum ope adjutus majori cum facilitate Regnum ſuum adminiſtrare poſſet. Noverat enim Rex feliciſsimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

quàm neceſſarium ſit ad imperandi artem Conſilium prudentum, fingique magis, quàm dari Virum illum πανάριστον Heſiodicum, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ, & propterea ex collatis aliorum ſententiis comparare ſibi voluit benè imperandi prudentiam.

Nemo tamen exiſtimet, Regem Guilielmum ſuam propterea minuiſſe Majeſtatem aut de poteſtate aliquid amiſiſſe, quod conſilio Prudentum ſubinde uſus fuerit. Ut enim Paterfamiliâs eo ipſo, quod præſcribat Leges Familiæ ex Uxoris conſilio, eamque participem faciat gubernationis,& cumFiliis operetur in commune bonum, ſe non ſpoliat ſuâ autoritate;Sic quoque Princeps,quamvis communicato conſilioProcerum omnia agat,non tamen propterea ſe exuit ſupremâ ſuâ poteſtate, aut majeſtatem cum illis communicat, ſed liberè ab illis etiam unanimiter conſentientibus diſſentire & in alia omnia ire jure ſuo poteſt. Ideoque etiam poſt factam deliberationem, imperii vis in executione adhuc ſatis clarè elucet, cùm conficiendorum Conſiliorum & negociorum autor unus exiſtat Princeps, ejusque prudentia in diiudicandis eligendisque conſiliis quàm maximè requiratur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ratur, nec opus ſit, ut Princeps pluralitatem votorum ſemper attendat.

Illud ergò Prudentum ſive Conſiliariorum aut Senatorum Concilium in Anglia à Rege primùm inſtitutum, quanquam ſucceſſu temporis ſive per Regum beneficia, ſive per indulgentiam, ſive per veſanam furentis populi rabiem majores ſibi vires acquiſiverit, & juſtum tandem ex eo factum fuerit Parliamentum, nunquam tamen illam poteſtatem accepit, ut in ipſum Regem inſurgere, ipſique inſultare liberum eſſet; ſed uti ab ipſo Rege inſtitutum prius fuit, ita poteſtatem etiam & autoritatem Regiâ multo inferiorem, & ab ipſo Rege conceſſam, ipſique propterea ſubjectam ſemper obtinuit & uſurpavit. Atque ideò in quam plurimis Regni Statutis vocatur Parliamentum Regis, Concilium Regis, Curia Regia, &c. quia ſcil. ab eo pro lubitu convocatur, & absque ejus juſsione coire nunquam poteſt, ejus etiam juſſu, quandocunque lubet, viciſſim diſſolvitur, adeoque Regis nutu & arbitrio omnia fiunt, ut ipſa etiam, quæ ab omnibus Ordinibus ita congregatis ſanciuntur, Regis Leges & Statuta nuncupentur.

Conſtat ex hiſtoria Henrici VII. à

Franciſco Bacono de Verulamio ſcriptâ, Parlamentum ſemper inferius fuiſſe ipſo Rege. Condonationem enim generalem Henricus noluit, ut à Parliamentaria autoritate promanaret; ſed durante adhuc Parliamento, nec in partes conſilii vocato ipſemet per Edictum Regium veniam illam generalem ſubditis ſuis refractariis conceſsit. *pag.*28. Alio tempore, cum Parliamentum denuò convocaſſet, Britanniæ Ducis cauſam per Cancellarium ſuum Mortonum Cantuariæ Archi-Epiſcopum propoſuit cum præfatione, apud *ſe decreviſſe, communicare & deliberare cum Subditis, à quibus tanta ei tributa ſint Amoris & Fidei pignora, de omnibus negociis (quæ quidem ejus generis ſint, ut publicari debeant) tam domi quàm foràs. &c. pag.* 96. Poſtquam verò ex amiſſione Britanniæ Honorem Regis & Regni imminutum cernerent ordines Parliamenti, CONSILIUM *Regi dederunt,* non mandatum aut poteſtatem, quæ ſuperioritatis vim argueret, *ut bellum cum Gallis ſuſciperet, pag.* 167. Nec verò permittere voluit Henricus rebellibus Scotis, ut Leges Regibus ſuis imponerent, ſed tùm communem Regum cauſam agi cenſuit, quando Subditi id ſui juris facerent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

rent. *pag.* 122. Et propterea Legiſlatoris partes ipſemet in Regno ſuo ſuſtinuit *pag.* 125. Quæque latæ fuerunt Leges, Regis ut ſemper prudentiæ & artis imperandi imaginem impreſſam habuerunt. *pag.* 355. Poſſemus id ex aliorum quoque Regum praxi oſtendere, qui nunquam paſsi ſunt, ut Parliamentum tantas vires ſumeret, quibus regiam ſuam poteſtatem imminuerent. Sed iſta nunc ſufficiant. Ex quibus patet, Parliamentum, etiamſi quidem ab initio tantam, quantam nunc fingunt Regicidæ, poteſtatem habuiſſet, jam olim tamen eam amiſiſſe, nec ſibi arrogare eam amplius poſſe.

Quin ſi Autori *Defenſionis Regiæ* credimus, Parliamenti ne nomen quidem antiquis temporibus cognitum fuit, nec in Senatum etiam Regis olim ex plebe, niſi interdum Sapientes quidam i. e. Juris & Legum patriarum periti, ab ipſo Rege ex ejus arbitrio legebantur. Sub Eduardo III. demùm aut non multo poſt totum Senatûs Corpus in domum Superiorem, Optimatum, ſeu Parium uti vocantur & inferiorem Communium, quæ ex Equitibus provincialibus & Civibus Urbium à populo deputatis conſtat, diviſum fuit, (nota hoc contra Philippum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Honorium, qui Parlamentum ſub hoc Rege magnam potentiæ ſuæ jacturam feciſſe opinatur) ita tamen, ut minuere vel augere numerum vocandorum ad hoc Concilium ſemper ſpectârit ad Regis arbitrium, integrum etiam ipſi fuerit quoſcunque vellet, Comitum vel Baronum titulo & inſignibus per Codicillos decorare, & ad majorem domum evocare, prætermiſsis etiam Baronibus antiquis & Feudalibus, quia ſc. illi qui ex plebejo Ordine ad Concilium Regni tali modo vocabantur, ut ſc. ſint Pares domus ſuperioris, hoc ipſo Barones fierent, quamvis antea non eſſent.

De Communium verò domo notandum eſt, quod recenſet Smith. *l.2. de Rep. Angl. c.* 3. ipſis Parliamenti initiis Rogatorem Comitiorum plebis nomine Regi ſupplicare, *ut conclave inferius immunitatibus & privilegiis antiquis perfruatur, ut, ſi liberè ſententiam in quacunque tandem re diſputandâ dixerint, Regia Majeſtas idipſum non ægrè ferre nec propterea ſuccenſere dignetur; ut ſi fortè in illo caſu aliquis deliquerit, aut quod dedeceat, dixerit feceritque, aut aliquem eo loci convocatum offenderit, pro vetuſta conſuetudine, pœnas de illo repoſcant; ut ſi du-*

ſi dubium occurrerit, unde conſilio colloquioque Regis aut Baronum opus fuerit, eo uti liceat, &c.

Falſum eſt itaque, Regem tantùm conſiderari debere, ut membrum aliquod aut Præſidem Parliamenti, imò Regem Parliamento ſubjectum & Populi miniſtrum eſſe, uti ſibi perſuadent hodiè Puritani, cùm tamen Rex etiam extra Parlamentum abſolutam teneat poteſtatem, ipſaque Parliamenti placita pro lubitu confirmare aut rejicere poſsit. Ultimo enim Conſeſſus die cujuſque Conſtitutionis Caput & Titulus hâc quaſi formâ recitatur: DECRETUM EST &c. DECRETUM EST &c. ſimulque obſervatur, quod Princeps dicto comprobet. nam in hujuſmodi ſic ait: LE ROY, aut LA ROYNE LE VEULT. habenturque tùm conſummatæ Regni Anglicani Conſtitutiones; Quibus Princeps derogatum vult, haud pluribus verbis utitur, quam LE ROY aut LA ROYNE S'ADVISERA, quæ propterea extincta penitus, abolitaque cenſentur, ut docet Smith. *l.* 2. *c.* 3. Privata autem Parliamenti acta, quæ ſine Rege fiunt, neque peregrinos neque cives conſtringere, conſtitutum eſt Statuto Anni XXXVII. Henrici VI. c. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

& anni XIII. Eduardi IV. c. 8.

Nec infirmari poteſt ſententia Academiæ Oxonienſis, quando de Regia poteſtate ſuperioribus annis hunc in modum pronunciavit: *Conſeſſus duorum ordinum alter ambove jus non habent nec autoritatem ſtatuendi, jubendi, tranſigendi ſine Rege, ſed cum eo tantum ſuper arduis regni negociis colloquium habendi, tractandi & conſilium impendendi. Unde etiam,* inquiunt, *factum exiſtimamus, ut in ſupplicationibus, admonitionibus & Declarationibus ſuis aliiſque publicis ſcriptis Magnum Regis Conſilium ſe paſſim appellare ſoliti ſint.* Et patet inde, quàm verè ſcripſerit Cambdenus *in Britann. pag.* 142. *Rex ſupremam poteſtatem & merum imperium apud nos habet, nec in imperii clientelâ eſt, nec inveſtituram ab alio accipit, nec præter Deum ſuperiorem agnoſcit.* Id quod aſſerit etiam Johan. Davenantius Epiſcop. Sarisbur. *determ. quæſt.* 19.

Quæ cum ita ſint miramur ſanè, qui tàm protervi & procaces eſſe poſſint Declaratores, ut Regi ſuo etiam inquirendi poteſtatem in ſuſpecta quædam Parliamenti membra demere, aditumque penè omnem in Curiam ſuam intercludere non

eru-

erubeſcant. Quàm acerbè enim & quam parùm reverenter de Rege ſuo loquuntur infauſti Homines? quando ajunt: *Rex ipſe Parlamenti Conſeſſum in inferiori domo ingreſſus eſt, ut quinque ejuſdem Membra ſeu Adſeſſores in vincula conjiciendos curaret. Sequebantur eum aliquot centeni homines vitæ profligatæ & inordinatæ, qui gladiis, ſclopetis minoribus aliiſque ejuſmodi telis armati ante Parlamenti januam expectabant, ac ad ea, quæ Dux ipſis mandaturus eſſet, efficienda parati erant.* An verò exiſtimatis, Parricidæ, liberum non eſſe Regi etiam armatâ manu, quandocunque & quotieſcunque voluerit, in curiam veſtram intrare? qui tamen liberam poteſtatem habet, concilium hoc veſtrum convocandi, prorogandi, diſsolvendi, diſponendique pro lubitu, cui etiam, poſtquam conveneritis & ad codicillos Regios comparueritis, ſupplicare oportet, ut conclave veſtrum immunitatibus & privilegiis antiquis perfruatur, &c. & hunc, ſine cujus juſſu ne congregari quidem vobis licitum eſt, non habere poteſtatem curiam veſtram de membris quibuſdam publicæ tranquillitatis turbatoribus compellandi, ut in vincula conjiciantur, juſtâque affi-

ciantur pœna. Miſerum verò Regem, qui manus à ſubditis ita conſtrictas habet, ut in Rebelles & Majeſtatis Reos animadvertere haudquaquam liceat. Sed enim nec ipſe Rex in Defenſione ad Regium hoc ſuum jus provocare voluit, quanquam tutò potuiſſet, ſed manſuetudinem etiam erga Hoſtes ſuos exercens, leniori viâ incedere maluit, & animi tantùm ſui propoſitum explicare, quàm in caput ſuum crabrones ulterius excitare. Audiamus autem ipſum *in Icone βασιλικῇ p. 12. Poſtulando ut in quinque vel ſex homines æquo & legitimo judicio inquireretur (quod, Deum teſtor, unicus mihi finis erat) quid inde pejus eveniſſet, ſi obtinuiſſem quod volui, quàm, ut vel illis ſontibus deprehenſis, aſſerta eſſet cauſa mea & Regni mei; vel patefactâ ipſorum innocentia ſuſpiciones meæ omnes abſtergerentur. -- Quod verò nonnulli calumniabantur, quaſi per vim graſſari in Domum inferiorem & Privilegia invadere deſtinaſſem, erat omnium falſiſſimum, cùm, Deum teſtor, nec in mentem tale quicquam veniſſet, nec qui mecum tunc erant, ulla facti vel dicti mei ſignificatione quid ejuſmodi colligere potuiſſent. Viſos eſſe in Comitatu meo aliquot Nobiles, ut haud inſo-*

inſolens erat Majeſtati Regiæ & in turbidis temporibus præſidium, ita nec numero æquabant ordinariam Stipatorum cohortem, ſi tumultus accidiſſet, longè impares futuro diſcrimini. Neque erant illi magis adventu meo perterriti, quàm ipſe parum ſecurus ab eorum petulantiis, ſi nullos mecum adduxiſſem, qui reverentiam mei aliquam imprimerent. Potuiſſet verò Rex glorioſiſsimus, ſi jure ſuo uti voluiſſet, quinque vel ſex iſta Reip. carcinomata, inſalutato etiam Parliamento, ad ſupplicium trahere; ſed verò, ne iniquus aut ſubditis ſuis parum propitius diceretur, maluit de jure ſuo aliquid remittere, & coram judice, quem fecit & conſtituit ipſe, experiri, quàm Carnifici ſtatim negocii hujus ſummam committere. Sed quàm refractarii fuerint Parliamenti Aſſeſſores, & quàm pertinaces in aſſerenda ſua licentia, quàm patiens & quam lenis è contrario Rex, audimus & ſtupemus: Poſtquam enim denunciaſſet accuſationem, miſſo ad Domum inferiorem Satellite, ſpretus illic & repudiatus, perrexit ipſe in Domum, ut præſens in judicium repeteret. Quid mirum, ſi ſæpius læſa patientia tandem deſiiſſet in furorem? Sed exerceri ita voluerunt virtutes regiæ,

 ut in-

ut innocentia probaretur & Anglorum perfidia exoſa magis redderetur Terrarum orbi, attonito ſc. & ſcire volenti, utrum Anglorum natio tanti Regis virtutem mereretur.

EXERCITATIO VI.

Parliamentum non potuit Curiam aut Tribunal Iuſtitiæ cum abſoluta in Regem jurisdictione conſtituere.

PRimò enim Juriſdictio ſoli competit Regi, qui eam habet ſuo jure, non alieno beneficio, & ille ſolus poteſt Judices dare & jubere judicare, aut magiſtratus creare, qui judicia exerceant. Si qui ergò ſunt in Britannia, qui jus dicendi poteſtatem habent, illos à Rege eam accepiſſe oportet. Et domus quidem Superior ſive Parium judicialem ejuſmodi obtinet poteſtatem, ut de æqualibus ſive membris ſuis cognoſcat, ſi quando criminis alicujus inſimulantur; illam ipſam tamen delegatam habet à Rege, delegare ergò alteri non poteſt, nec eandem domui inferiori mandare, ut ſc. contra fontem omnis poteſtatis uſurpetur. Inferior autem Domus id juris nunquam habuit, ut vel de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

unius Civis ex media plebe fortunis aut capite cognoſcere poſſet; Sed ſi talis aliquis perduellionis, læſæ Majeſtatis aut proditionis poſtularetur, ad Tribunal, quod Bancum Regium vocant, citandus fuit.

Secundò, Perſona Regia judicari & in ordinem cogi non poteſt ab ulla poteſtate, quæ in Regno ſuo ſit, nec accuſari etiam, cum major poteſtas apud minorem v. g. Conſul Romanus apud Prætorem poſtulari & compellari non queat: Ergò multo minus Rex, qui ſummam habet poteſtatem apud eum, qui habet vicariam & ab ipſo Rege conceſſam. Et profectò multo deterior fuit conditio Regis Caroli, quàm cujuſquam alterius ex majori Nobilitate. Quod ſi enim quiſquam Ducum, Marchionum aut Baronum in Parliamento locum occupantium dignitatem adeptus læſæ Majeſtatis aut Criminis Capitalis poſtuletur, æqualium, ut paulò ante diximus, pariumque ſuorum ſententiâ judicatur i. e. cogitur è Nobilibus Inquiſitio. Carolus autem non ab æqualibus, nec etiam à Superiore Parliamenti Senaculo, hoc ipſo tamen ad judicandum inhabili, quod Rege multis modis inferius eſſet, condemnatus fuit, ſed ab infimæ & profligatæ ſortis hominibus, Teſtes autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tem contra eum producti Cerdones, Aurigæ, Caupones, Latrinarum & Caminorum Purgatores, aliique ejus farinæ plures.

Tertiò, quod Parliamentum ipſum attinet, eo tempore, quo Tribunal hoc Juſtitiæ in caput Regis conſtitutum fuit, tota abfuit Curia Superior, Domus Parium vulgo cognominata, quæ ex Principibus & Baronibus conſtare aliàs ſolet. Iſti verò omnes, eò quod pejora in dies metuerent, nec conſiliis ſuis rebus deſperatis mederi poterant, exeſſe malebant, quàm ejuſmodi nequitiis hominum perditiſsimorum ulterius connivere. At enim, quî jam poterat parte hâc abſente domus inferior poteſtatem inter duos diviſam, citra utriuſque conventionem, alteri delegare? cùm omnis Parliamenti vis, quantacunque demùm ea fuerit, non penes inferiorem ſolam, nec penes ſolam ſuperiorem, ſed penes utramque Curiam ſimul ſumptam collectivè conſiſtat. Itaque hoc pacto fit, ut nulla promulgatio Decreti, Conſtitutionis aut Edicti Parliamentarii vim ſortiatur, donec utraque domus aſſenſum præbuerit, Thom. Smith. *l.* 2. *c.* 3. & donec Regis quoque acceſſerit conſenſus & Ratihabitio. Cumque in Curia ſive Senaculo

culo ſuperiore Princeps ipſe, Dynaſtæ trabeati, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Duces, & Marchiones conveniant, atque nobiliſsimam adeò Parliamenti partem conſtituant, ſi illi abfuerint ſimul omnes, quid ab ignobiliori parte boni proficiſci poſſit, nullo labore colligere, & vel ab ipſa Experientia condoceſieri poteſt etiam in politicis Rebus minus exercitatus.

Quartò: ipſa etiam Curia inferior plerisque & potiſsimis ſuis membris fuit mutilata. Milites enim Parliamentarii Prætorianis cohortibus inferioris Curiæ à cuſtodia pulſis, plurimisque ejus Proceribus in vincula conjectis, plurimis ab ingreſſu excluſis, reliquos non niſi paucos ſuis inſtitutis maximè idoneos ingredi permiſerant, adeoque trecenta circiter inferioris Curiæ membra vi & armatâ manu prorſus removerant. Mutilum autem & modis omnibus inquinatum Corpus nec potuit nec debuit ejusmodi res moliri, ex quibus Reip. quicquam aut novitatis aut detrimenti metuendum fuit. Et quanquam aliàs eorum tantùm, qui præſentes adſunt, ratio haberi ſoleat in inferiore Senaculo, nec ut in Superiori omnes vel per ſe vel per Proxenetem ſuum adeſſe debeant, cum in inferiore nulli ſive Equiti

ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſive Municipi Electo ſuffragium ſuum alteri conferendi jus ſit; nunquam tamen contigiſſe exiſtimo, ut paucis quibusdam convenientibus, reliquis verò omnibus & multo quidem pluribus excluſis de Rebus tanti momenti ageretur.

Quintò, illa ipſa Curiæ inferioris membra reſidua militum arbitrio omninò erant mancipata, eorumque violentiæ ita prorſus ſuccumbebant, ut quicquam in negociis comitialibus concludere non amplius eſſet liberum. Nec enim Senatûs jam dici poterat iſte Conſeſſus, ſed è fece plebis cruentorum quorundam hominum conciliabulum, ſelectorum ad hoc à Ducibus rebellis Exercitûs, ipſisque perduellibus.

Objectionibus hisce dum reſpondere volunt *in Declaratione ſua* Parricidę miſerè ſe torquent, multaque gratis & ex mero in Reges, Regiamque poteſtatem odio congerunt, tantùm ut ne nihil reſpondiſſe dici poſsint. Modò enim anteriorum Parliamentorum non ferendam ſervitutem, & ſuffragia vi extorta cauſantur; ſed quid hoc ad Præſens negocium? Poſito enim, amiſiſſe Parliamentum ſuam libertatem, nondum verò conceſſo, an propterea à tam paucis & infimis Parlia-

menti

menti membris, per ipſius Regis cædem & Regni everſionem, libertatem iſtam reſtitui oportebat? imò an reſtituta dici poteſt, quando ipſi Reſtitutores à ferociente & furente Exercitu velut νευρόσπαστα quædam ἀγάλματα ducti fuerint? Modo inſtant, ſequi hac ratione, nihil quicquam eorum, quæ à Parlamento ſuo ita mutilato conſtituta ſunt, ratum firmumque haberi poſſe; Sed quid inde abſurdi? præſertim, ſi ab alienæ voluntatis mancipiis concluſa fuerint. Ita enim integrum adhuc Parlamentum, cum ſuperiore anno 1647. ab utraque curia nonnulla extorquerentur, eadem non ita multo poſt, omninò irrita & nulla fecit; quanto magis irrita erunt illa, quæ non integro Parlamento, non à pluribus, non à potioribus aut Sapientioribus, ſed à quibuſdam infimæ ferè ſortis hominibus, iiſdemque ad alienum arbitrium ſervientibus facta & decreta ſunt. Modò reponunt, diſcedentibus Parliamenti membris etiam pluribus & potioribus, reliquæ tamen parti non poſſe adimi poteſtatem de Bono publico deliberandi & concludendi. At enim ſi reliqua pars corrupta, ſi rudior & omnis politicæ prudentiæ expers, ſi rebellis & adverſus Regem contumax, ſi peſtis &

perni-

pernicies Reip. fuerit, ut propterea prudentiores conſilia cum illis communicare amplius nolint, ſed ex metu majoris periculi diſcedant, quid ab ejuſmodi parte reliquâ boni expectandum ſit, nemo eſt, qui ignoret. Quæ addunt Declaratores de ſalute Regni a ſe hactenus quæſita, gratis dicuntur, & ſpecioſam mentiuntur veritatem.

Sextò autem prætereundum non eſt, tùm in aliis Regni & Parliamenti Legibus ſive conſtitutionibus Regum, quæ de crimine læſæ Majeſtatis aliquid ſtatuerunt, quæque autoritate Parliamentorum confirmatæ ſunt, tùm verò inprimis in Statuto anni 25. Eduardi III. perduellionis & proditionis reos judicari, quicunque depoſitionem Regis ejusdemve aut primogeniti hæredis mortem tentaverint, licet conatus ad effectum nondum pervenerit. Ipſe factum olim obſervavit Thomas Smith, *eum qui verbum immodeſtius aut concitatius adverſus Principem aut Senatum effutiverit, non interdici modo oratione, verum etiam in Turrim confeſtim abripi. l.2. c.3.* Et hùc facit Juramentum de incolumitate & Majeſtate Regis protegendâ, quod ab omnibus Parliamenti Proceribus, priusquam in

Curiam

Curiam admittantur, præſtandum eſt. Hoc quàm piè quamque religioſè à ſe obſervatum fuerit, etiam atque etiam attendant Declaratores.

Accedunt *Septimò* toties iteratæ ex parte Parliamenti Sincerationes, Proteſtationes, Declarationes, Excuſationes, aliaque cujuscunque nominis monumenta, quæ ſanè eò tendebant omnia, inprimis in ſolenni iſto fœdere, quod Proceres utriusque Domus inter ſeſe atque deinde inter Scotiæ & Hiberniæ Ordines pepigerunt, ut Regiam perſonam & autoritatem protegerent & conſervarent. Tùm enim clariſsimè conteſtati ſunt Proceres, *nunquam ſeſe vel directè vel indirectè permiſſuros, ut aliquovis Conſpirationis, ſocietatis, vel ullo perſuaſionis metusve prætextu à Sancto hoc fœdere, quod ad Dei Gloriam, Regni proſperitatem atque dignitatem Regis quàm maximè conducit, detrahantur &c.* Quia ergò in ſolenni illâ conventionis pactione expreſsè cautum fuit de Regis Majeſtate comiter ab omnibus conſervanda, deque perſonâ ejus protegenda, quàm fœdifragi facti fuerint Angliæ Reformatores, non difficile erit pervidere.

Fruſtra autem in *Declaratione* ſua obten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tendunt, ideò à ſe iſta edicta promulgata & concluſa fuiſſe, *quia firmiſſimam ſpem concepiſſent, Regem malis ſuis conſiliariis liberatum tandem ad ſaniorem ſenſum reverſurum & Parlamentum voti ſui compos facturum eſſe.* Id enim ſi explices, hoc ſanè dictum volunt, Regem Parlamento debere eſſe ſubjectum, quia verò hoc ab ipſo impetrari non poſsit, neque etiam ob ſummam, quâ pollet, potentiam cogi queat, ideò magnis & ſpecioſis promiſsionibus, multisque ſinceratio- nibus ſecurum reddendum eſſe, ut poſtmodum ex improviſo & quaſi ex inſidiis eum adoriri & faciliùs opprimere poſſent. Ex hoc ergò principio omnia iſta decreta & ſtatuta edita fuerunt, nec diſsimulare id poſſunt Declaratores. Si enim decreta iſta de Rege ad ſummam magnificentiam & felicitatem extollendo propterea tantum approbârunt, quia ſpem conceperant, Regem ad ſaniorem ſenſum reverſurum, ſequitur, ipſos Regem ſuum ad ſummam magnificentiam extollere nolle, ſi ſpes ſua decollaſsit, imò perſequi potius & majeſtatem ejus imminuere velle. Egregios verò Jeſuitarum diſcipulos, qui tàm feliciter æquivocationis artificium didicèrunt, atque ore aliud dum loquuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tur, ſub pectore aliud condere tam ingeniosè ſciunt, ut ipſum etiam Regem fallant. Majeſtatem equidem Regis ſe non ſolùm conſervaturos, ſed aucturos etiam profitebantur; ſed ſi ita crudè & verba, prout jacent, accipias, pro ſimplici haberis. In mente enim reſervabant, id tùm demum à ſe fieri debere, ſi Rex ad ſaniorem ſenſum revertatur. Hanc autem animi ſui ſententiam prius non eloquuntur, quam ubi ſe juxta littora navigare, & ſine periculo ſummis ima vertere poſſe deprehenderint. Nunquam Jeſuita feliciùs decepit, nunquam etiam majori cum audacia imperantes aggreſſus eſt.

Omnes in orbe gentes, etiam barbaræ, Reges ſuos ſanctos & inviolabiles eſſe voluèrunt, cumque ipſis in judiciis experiri nunquam auſæ fuèrunt. Quanquam enim non negemus, habere Reges alios poteſtatem majorem, & uti vocant, omninò abſolutam, alios minorem & limitatam, illud tamen ab omnibus ferè gentibus ſemper creditum invenimus, eſſe debere Reges ἀκρίτους & ἀκατακρίτους. Neque enim hîc multum curamus illas gentes, quibus Reges ſuos ſive per ſicarios ſive per veneficia tollere nunquam fuit piaculo; dicimus tamen, eas in hoc crudelitatis

& im-

& impietatis genere ab Anglorum Natione nunc ſuperari, quandoquidem hæc Regem ſuum etiam in jus vocare & tanquam in ſubjectum inquirere non dubitaverit. De Regibus Lacedæmoniorum non eſt mirum, ab Ephoris eos judicari, imò & in vincula conjici potuiſſe. Licet enim dominatio iſta regio nomine cenſeretur, nihil tamen habuit poteſtatis regiæ præter nomen, nec etiam, niſi in bellicis demum expeditionibus, jus vitæ & necis habebat, & propterea Ariſtoteles eam στρατηγίαν κατὰ γένος ἀίδιον vocare maluit. Nunquam autem quiſquam eorum capitali ſupplicio affectus eſt, præter unum Agidem, indignante & deteſtante factum hoc populo Spartano, prout memorat Plutarchus *in ejus vitâ*. Hoſtes ipſi, ſi in acie Regi Lacedęmoniorum occurriſſent, non facilè inferebant manus, ſed avertebantur etiam, quòd timerent & revererentur majeſtatem Regiam.

Apud Judæos Reſpublica ſimiliter adminiſtrabatur à Regibus in principio quidem plenâ & abſoluta poteſtate; poſt captivitatis Babylonicæ verò & Ariſtobuli Jonathæ Filii tempore è Senatus LXX virorum ſententia, conſilio & autoritate. Quanquam enim bella צוה dicta, quæ gere-

gerebantur adverſus ſeptem Cananitidis Terræ populos & Amalekitas, ut & in illos, qui in Iſraëlitas irruptionem fecerant, propriis Regis auſpiciis confici potuerint, prout tradunt Judæi; bella tamen reliqua dicta non niſi è ſententia Synedrii gerebantur: Neque etiam jus dicebant Reges in capitalibus cauſis omnibus, ſed in iis tantùm, quarum pœna erat è Moſis Lege, Decollatio. Adeoque multùm limitata erat poteſtas Regia ſequioribus temporibus. Nunquam tamen in jus vocabatur Rex, nec item armis oppugnabatur, etiamſi à Judaicis inſtitutis deſciviſſet, & in pios perſecutionem feciſſet, ſed poteſtatem ipſo Synedrio ſuperiorem ſemper obtinuit, Quod autem Judæi de Regibus Judæ, Davidis poſteris (Reges enim Iſraelis excipit Maimonides) nugantur, illis aliquando jus dici potuiſſe, id fidem hactenus apud nos invenire nullam potuit. Hanc enim πολιτείαν animo tantùm concepiſſe Judæos, nullos Principes eo jure regnaſſe, rectè aſſerit Samuel Petitus contra Baronium in Diatribe de jure Eccleſiæ quæſito per Principum edicta. Et veroſimile eſt, opinionem illam Rabbinorum natam fuiſſe ex illa de ampliſsima poteſtate Synedrii per-

perſuaſione, & nimio poteſtatem iliam extollendi ſtudio. Vid. Conring. de Rep. Hebr. n. 77.

Etiam Galli hodiè in Regum ſuorum cultu multò religioſiores, & propterea digni ſunt, qui Anglis velut norma & exemplum proponantur, juxta quod ſuas magis magisque deſpuere & execrari diſcant actiones. Cum enim ſuperioribus annis in ſanctiore Regis Conſiſtorio deliberaretur, quâ pœnâ afficiendus eſſet Henricus Monmorantiæ Dux, quod Gaſtonis Baptiſtæ Aureliæ Ducis contra Fratrem Regem Ludovicum XIII. armá moventis, caſtra ſecutus eſſet, & quidam objicerent, ipſum autorem factionis (qui tamen alias capitaliter & præ aliis multo atrocius puniri ſolent) Aureliæ ſcil. Ducem impunè nunc dimitti, idem ergò beneficium Monmorantio potiùs alterius auſpicia tantùm ſecuto concedi debere, rectè tùm ab aliis reſponſum fuit. Principem Regis Fratrem, ut non ſine gravi delicto, ita ſupra pœnam nunc eſſe. Proximum enim eum, &, niſi quidam quaſi ἀπὸ μηχανῆς Deus regii thori avertat ſterilitatem, certiſſimum eſſe Regni hæredem, prout refert M. Z. Boxhorn *in diſqq. polit. caſ.* 7. Similiter cum inter Amicos Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Chriſtophori Thuani Parlamentarii Præſidis privatim disquireretur, utrum literas, quas Dux Alençonius Henrici III. Regis Galliarum Frater toti Senatui inſcriptas ad Thuanum miſerat, ut Belli ſui, quod contra Regem movere conſtituerat, æquitatem oſtenderet, Parlamentumque in partes ſuas traheret, utrum, inquam, in pleno Senatu eas literas prælegere expediret, & aliqui tûm prælegendas eſſe ſtatuerent, quod Senatus inter alias etiam Regii ſanguinis Principum controverſias dijudicare poſſet, prudenter excepit Thuanus, quædam eſſe, quæ in controverſiam à Parliamento non debeant vocari. Ejusmodi eſſe molitionem adverſus Regem & Remp. quæ non niſi contracto crimine læſæ Majeſtatis in deliberationem venire poſsit, annotante eodem Boxhorn. *disq.* 55. Sed pergimus nunc ad alia.

EXERCITATIO VII.

Rex Carolus, etiamſi fuiſſet Tyrannus, non tamen propterea erat ſive removendus, ſive occidendus.

VLtima totius Declarationis ἀνάλυσις tandem evadit iſta, ut probet, Regem Carolum fuiſſe Tyrannum & propterea

pterea interficiendum. Supponit ergo Tyrannum jure occidi, quod tamen in hoc negocio maximè probari oportebat. Si enim negetur propoſitio major, quam in hoc Syllogiſmo practico faciunt Declaratores, ſc. omnem Tyrannum eſſe interficiendum, non opus eſt, ut ad minorem reſpondeatur, quæ de Carolo ſubſumptionem facit, niſi quando regiæ virtutes ab omni inculpatione liberandæ ſunt.

Ut autem ambiguitas Subjecti in propoſitione majore tollatur, notandum eſt, nos in hac controverſia non loqui de Tyranno, qui titulo talis à Politicis vulgo dicitur, ſive de eo, qui regnum invaſit & principatum rapuit, nulloque vel electionis vel ſucceſsionis, vel alio legitimo titulo ad rerum gubernacula venit. De tali, inquam, nos jam non loquimur, cum talis nunquam fuerit Rex Carolus, neque ex hoc capite à ſubditis ſuis accuſari poſſit, uti id exercitatione I. oſtendimus. Sed loquimur jam de Tyranno in exercitio, ſive tali, qui quidem legitimo jure ad poteſtatis regimen pervenit, ſed conceſsâ ſibi nequiter abutitur poteſtate, qualem ſcil. fuiſſe Regem Carolum per totam ſuam Declarationem probare ſuſcipiunt Parricidæ. Et de hoc quæritur, an jure à

Subdi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Subditis ſuis occidi poſsit, ſive: an Subditi poteſtatem habeant adverſus ejuſmodi Tyrannum inſurgendi, armis reſiſtendi, & ſi corrigi nolit, tandem omninò occidendi.

Et ſunt etiam graviſsimi Viri, nec ii quidem in rebus politicis minùs exercitati, qui diſtinguunt inter merè ſubditos ſive privatos, & tales ſubditos, qui ſimul Magiſtratûs ſubordinati vices ſuſtinent. Illis negant, licitum eſſe occidere aut removere Tyrannos, quandoquidem publicus armorum uſus privatis omnibus ademptus ſit. His verò, quia in partem curarum Reip. aſſumpti ſint, poteſtatem faciunt diſponendi de Rep. & removendi ejusmodi Tyrannum à gubernaculis, armis etiam reſiſtendi, ſicubi ille aliter cogi non poſsit, non obſtante, quod ſummum imperium penes ipſum fuerit Tyrannum. Sed enim, quod pace tantorum Virorum dictum volumus, diſtinctionis hujus uſum in præſenti negocio videmus planè nullum. Ut enim in Logicis ſubalterna genera duplicem inferunt habitudinem, alteram quidem generis, quâ ſe habent erga ſubjectas ſpecies, & ad illas referuntur, dum illarum genera dicuntur, alteram verò ſpeciei, quâ ſe habent

erga ſupra poſita genera, & qua ad illa referuntur, ut dicantur eorum ſubjicibiles ſpecies, ita quidem, ut ratione ſummi generis ſemper ſint ſpecies & ne dicenda quidem ſint genera: Ita negare quidem non poſſumus, Magiſtratûs inferiores, uti vocantur, habere aliquam poteſtatem & eſſe perſonas publicas, ſi conſiderentur ratione inferiorum ſibi ſubjectorum; ſi verò cum ſumma conferantur Majeſtate, protinus omnis evaneſcit poteſtas, & in hujus reſpectu perinde ſe habent, ut alii privati; cumque ratione inferiorum merè ſcil. ſubditorum, aut non pari poteſtate præditorum, ſuperiores & magiſtratûs alias rectè dicantur, nunc etiam nomen amittunt, ut Magiſtratûs dici haud poſsint. Majeſtas autem, perinde ut genus generaliſsimum, ita ſumma eſt & dicitur, ut nulli alii ſubjici poſsit & debeat, ſed reliquos Magiſtratus omnes tranſcendat, adeoque ſeſe à poteſtate eorum liberet.

Quin imò, quia Magiſtratûs inferiores omnem ſuam poteſtatem delegatam & conceſſam habent, eamque à Rege aut Imperante, qui videlicet ſummam obtinet, velut à Radice aut fonte ſuæ dignitatis acceperunt, neque extra, contra, aut præter ejus arbitrium & voluntatem quicquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

quam definire poſſunt, judicet quæſo unusquisque, num tales perſonæ, quæ in partem curarum publicarum aſſumtæ ſunt, poteſtatem iſtam ſibi conceſſam adverſus concedentem exercere poſsint aut debeant. Nobis certè data diſtinctio, quam aliàs non improbamus, in hoc negocio ſatisfacere nequit; ſed firmiter ſtatuimus, adverſus imperantem, qui ſummam in Rep. & bono quidem titulo tenet poteſtatem, ſubdito ſive Magiſtratus ille fuerit, ſive merè privatus, inſurgere, nequaquam licitum eſſe.

Et quis non cum Eliſabetha Angliæ Regina damnaret Scotorum illum in Regum injuriam ſcriptum Commentarium; *Quo inſolenti quâdam libertate & verborum aſperitate populum Scoticum Regibus eſſe ſuperiorem, ex veteri Regni Scotici jure, exemplis obſoletis & novis undiquaque conquiſitis,* (eodem ſcil. artificio, quo hodierni Parricidæ) *imò & ex Calvini autoritate populares ubique Magiſtratus ad libidinem Regum moderandam conſtitutos eſſe, iisque licere malos Reges carceribus coërcere & Regno exuere, probare conati ſunt.* Vid. Cambdenus Ann. 1571.

Sit ſanè Princeps libidinoſus, ſit adul-

ter, ſit homicida, raptor, improbus, incendiarius, luxurioſus, prodigus, contemptor Dei, Apoſtata, Sacrilegus, innocentis ſanguinis effuſor, fœdifragus, Tributorum exactor iniquiſsimus, quid hoc ad Te, cui Subditi partes à Deo datæ ſunt? Subditorum non eſt, nedum fidelium, ob edicta quædam & privilegia minus obſervata in Principem ſuum inſurgere, imperii jugum excutere, Regni quietem turbare, exercitûs conſcribere, copias cogere, urbes munitionibus obvallare; Sed, ſi quid gravius incumberet, ferendum, precibus apud Deum, ſupplicationibus apud Regem enitendum eſt, ut fiat levius: obſequio & fide demerendi ſunt animi eorum, qui clavo aſsident. Non enim cujuslibet libidini ſubjacet ſacroſancta Principis Majeſtas, neque fas eſt Filio, violare Patrem, etiamſi omnibus ſuppliciis fuerit digniſsimus, quandoquidem nulla impietas vel ſcelus tantum ſit, quod parricidio vindicari debeat.

Quod ſi ergò imperans impia fortaſſe aut inhoneſta præceperit, privati quidem in nudis recuſationis terminis permaneant & ex mente Lutheri exilium potius patiantur, quàm armis reſiſtant. Vid. Lutheri aliquot ſcripta, & inprimis Ob Kriegs-

leute in einem ſeligen Stande ſeyn / *tom. 3. Ienenſi Germ.* Sleidan. *lib. 9.* in princip. Ii verò, qui Magiſtratus quodammodo perſonam gerunt, (hîc ſcil. diſtinctio ſupra examinata aliquem oſtendit uſum) rectiùs faciunt, ſi modeſtè contradicendo, reverenter deprecando, piè obteſtando & juſtè rei incommodum exponendo omne prius periculum faciant, utrum ad ſaniorem mentem redigi poſsit Princeps, quàm ad arma capienda conſilium ineatur. Quod ſi verò dubitetur, utrum cum Dei & Naturæ Legibus pugnent, quæ pro iniquis habentur, præcepta, tùm verò non tantùm non reſiſtendum violenter, ſed etiam fideliter obediendum eſſe, conſtanter aſſerimus. Idque ſi non aliam ob cauſam, ſaltem propterea, ut ne juſſa recuſando, ad rebellionem inclinare pedetentim aſſueſcant animi Subditorum. Quæ ratio eſt merè politica.

Edidit Georgius Buchananus *de Iure Regni apud Scotos* Dialogum, in quo tantum abeſt, ut dignitatem & jura Regia exornet aut magni faciat, ut potiùs Regem ſuum, cui tamen totum librum dicatum voluit, etiam de prædiolo, de luminibus, de ſtillicidiis accuſari & adverſus eum judicium dari poſſe contendat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Utque impias ſuas aſſertiones religionis quodam aut divini juris velamento palliare queat, in ipſam Scripturam quam ſæpiſsimè involat, plurimaque dicta novis explicationibus interpolata in ſententiam ſuam trahit. Nos ex multis propoſitionibus, quas illic fruſtra propugnat, ſequentes tantùm, quæ ad præſens negocium facere videbantur, excerpſimus, ut conſtet Lectori, quàm frivolè & ineptè de Majeſtate per totum iſtud Opusculum loquatur. Sunt autem tales: *Si Rex vi coëgerit populum ſibi parere, populus quoque ubi primùm ſuis viribus cœperit confidere, violentum illud imperium poterit excutere: cum à Regibus & populis recepta jura pronuncient, & natura clamet, quicquid per vim fiat, ſimili vi ſolvi poſſe. Populus, à quo noſtri Reges habent, quicquid juris ſibi vendicant, Regibus eſt potentior. Quicquid juris alicui populus dedit, idem ille juſtis de cauſis poteſt repoſcere. Populus eſt Rege præſtantior & major. Rex ergò, cum ad populi judicium vocatur, minor ad majorem in jus vocatur. Tyrannus non modò non juſtum habet imperium in populum, ſed etiam populi hoſtis eſt, & propterea bellum cum eo juſtum eſt. &c.* Quas easdem propoſitiones

acri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

acriter etiam defendit perſonatus quidam Stephanus Junius Brutus *in vindiciis contra Tyrannos, q.3.* & David Pareus, *Commentar. in cap.13. Ep. ad Rom. Dub.4. prop.3. & 4.* quorum commune axioma eſt, licere Subditis merè privatis in aliquo caſu invadere Tyrannos, & armis ſe non minus, quàm contra privatos Graſſatores defendere. Liber autem iſte Parei propterea poſt publicam Academiæ Oxonienſis cenſuram d.6. Julii An. 1622. ex Decreto Jacobi VI. Regis per manum Carnificis publicè ibidem combuſtus fuit, factumque Statutum, ut nemo poſthâc in quâcunque Facultate ad Honores & Dignitates Academicas admitteretur, niſi Cenſuræ iſti, quæ dictas propoſitiones condemnaverat, ſubſcripſiſſet. Vid. Hugo Grot. *in voto pro Pace ad Artic.16.A.C.* Non opus eſt, ut nunc in Refutatione talium Dogmatum denuò ſubſiſtamus, cum illorum falſitas ex ſuprâ poſitis pateat, ubi de origine Poteſtatis & populi ſubjectione abundè diſſeruimus.

Ponamus verò, licitum eſſe Tyrannum vel removere vel occidere, manet tamen difficultas, utrum id ſemper conſultum ſit & bono publico proficuum, præſertim ſi ſtatus poſtea & Regiminis forma mu-

tetur, cum etiam in ipſum Tyrannum ſine gravi motu, aut ſine Reip. concuſſione & calamitate arma moveri vix queant. Habet ſanè Princeps etiam omnium peſsimus ſuos aſſentatores, aſſeclas, amicos, Clientes, Cognatos &c. maximi interdum nominis, qui quamdiu ipſis benè eſt, nihil quicquam in Rep. immutatum volunt, ſed Tyrannidem potius augent & promovent. Quantos autem motûs excitare ſoleant illi, ſi quis alienum quid moliri velit, ex annalibus cujuscunque ferè nationis uberrimè declarari poteſt.

Nec minus ingenium populi quoque probè in hoc negocio attendendum eſt. Siquidem ubi ex voto res expedita, & Tyrannus vel remotus vel planè occiſus fuerit, metuendum eſt, ne populus ab uno extremo ad alterum, à ſumma quaſi captivitate ad ſummam licentiam devolvatur, dumque ſibi ab ejusmodi Tyrannide cavere in poſterum vult, ne ipſe majorem Tyrannidem affectet & introducat. Eleganter in hanc rem diſſerit in Cauſa Florentinorum Guido Antonius Veſpucius JCtus apud Guicciardin. *l.* 2. *Perche è natura de gli huomini, quando ſi partono da un eſtremo, nel quale ſono ſtati tenuti vio-*

violentemente, correre volonteroſamente ſenza fermarſi nel mezo all' altro eſtremo. Coſi, chi eſce da una tirannide, ſe non è ritenuto, ſi precipita a una ſfrenata licentia; laquale anco ſi può giuſtamente chiamare tirannide: perche & un populo è ſimile a un Tiranno quando da a chi non merita, quando toglie a chi merita, quando confonde i gradi & le diſtintioni delle perſone: & e forſe tanto più peſtifera la ſua Tirannide, quanto è più pericoloſa l' ignoranza, perche non hà nè peſo, nè miſura, nè legge, che là malignità, che pur ſi regge con qualche regola, con qualche freno, con qualché termine, &c.

Annon ergò ſatius fuerit, dum ejuſmodi difficultatibus Tyrannicidia implicantur, pati tantisper jugum iſtud, & tempori inſervire, quàm novis motibus, variis periculis & dubio eventui rem communem ſubjicere. Optimè de hac re diſſerit Thom. Smith. l. 1. *de Rep. Angl.* c 5. ubi ait: *Quod ſi improbus aliquis Remp. procuraverit, ubi Leges pro illo Reip. Statu conſervando ſanciuntur quæſtionis eſt, utrum ſine ſummo ſcelere mos gerendus ſit nec ne? an præſtet illam Reip. formam aboleri, aut retineri, denique ſit nec ne boni Viri & Civis officium eam ſar-*

tam tectam potius quàm funditus deletam velle? In qua quæſtione abſolutè quidem nihil definit, concludit tamen: *Illud exploratiſſimum eſt, leges patrias aut mutare aut ad earum obſequium ſeſe non accommodare, negocium ſemper cum periculo fuiſſe conjunctiſſimum.* Sed enim Smithii temporibus iſta talia in Anglia docebantur, hodiè contrarium obtinet, & felix putatur Resp. quæ non tàm tyrannico quàm regio imperio ſeſe liberare ſuamque licentiam aſſerere poteſt. Quàm benè, videant ipſi Declaratores.

Et hæc quidem de majore propoſitione, quæ omnem Tyrannum jure occidi ſupponit, dicta ſufficiant. Examinemus nunc ex abundanti, breviſsimis tamen & in generali quaſi conceptu, minorem, quæ de Carolo Rege ſubſumit, eum ſc. fuiſſe Tyrannum, quam ut probent, miſerè ſe torquent Declaratores. Sciendum autem ante omnia, Principem, qui tyrannicè imperat, non ſtatim pro tyranno habendum eſſe, adeoque Principem, qui δύσκολος eſt, differre ab eo, qui ὁλοκλήρως improbus eſt, omniaque pietatis, juris, ac honeſtatis repagula nefariè perfringit.

Multis ſanè jam olim Principibus Tyranni Etymon temerè attributum fuit,

non

non aliâ quidem de causâ, quam quod plenam libertatem, quæ aliàs & rectiùs quidem licentia diceretur, populo concedere, Democratiamque ex imperio unius facere recuſarent. Id ſimiliter noſtro hoc ſeculo contingit, quo populus ad mutationes aliàs pronus Principibus ſuis, ut primùm à regia via vel minimum deflectunt, Tyrannidis notam inurit, omnesque captat occaſiones, quibus ipſis inſultare, ſeque in ſuam quam jactat libertatem vindicare poſsit.

At enim Tyrannus ex fine actionum ſuarum æſtimari debet, quando ſc. commodum privatum & detrimentum publicum quærit, & ſe non propter Rempublicam ſed Remp. propter ſe factam aut inſtitutam exiſtimat. Quem finem alii quidem directè & manifeſtâ ſævitiâ, alii indirectè & quaſi ex obliquo intendunt, ſimulando ſc. regales virtutes, rationem reddendo, tributa ſub honeſto titulo exigendo, Urbem ædificando, Religioni quàm maximè ſtudendo, breviter, Patrisfamilias ſpeciem gerendo, ut habet Ariſtot. *V. Polit. XI.* Unde fit, ut niſi manifeſta Tyrannidis ſpecimina extent, difficulter judicari poſsit de animo imperantis, cui tamen, ſi impietatis & injuſtitiæ

ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſuæ tandem convictus fuerit, Tyranni titulus tanto majori cum odio tribuitur, quanto occultiorem nequitiam ſuam antea habere voluit.

His præſuppoſitis dicimus, Tyrannum non poſſe dici eum, qui citra propoſitum nocendi in rebus publicis negligens fuerit, multo minus eum, qui ſtupidus aut qui privatis quibusdam delictis infectus fuerit, ſed nec Tyrannum ex unico ſtatim actu Tyrannico judicari debere; illum autem verè talem eſſe, quibus vel omnes, vel pleræque proprietates ab Ariſtotele *L. V. Polit. c.* 10. *&* 11. recenſitæ, ſi ſc. cum deliberata mente Remp. deſtruendi, & propriis Rebus proſpiciendi conjunctæ fuerint, competunt. Illæ autem omnes, quotquot enumerantur ab ipſo Ariſtotele, tandem rediguntur ad tria hæc capita: propoſitum ſcil. eſſe Tyrannis (1) *τὸ μικρὰ φρονεῖν τοὺς ἀρχομένους*, (2) *τὸ διαπιστεῖν ἀλλήλοις* (3) *ἀδυναμίαν πραγμάτων*. de quibus vid. Jaſon Denores *dell' ottima Republica p.* 26. Arniſ. *l.* 2. *c.* 3. Piccart. *in h. l.*

Videant nunc Declaratores, utrum de Rege ſuo verè ſubſumere & probare poſſint iſta Tyranni *γνωρίσματα*. Verè, inquam, h. e. ut non tantùm proprietates haſce

haſce ipſi competiiſſe, verùm etiam ſimul finem Tyranni, qui eſt everſio Reip. & commodum privatum, ipſi propoſitum fuiſſe oſtendant. Poteſt enim etiam bonus Princeps tale aliquid à Subditis ſuis exigere, aut ipſe committere, quod tyrannicum quidem videri poterat, eſſe tamen nequit, ſi de fine & ſcopo iſtius actionis conſtet. E. g. Cives pauperare Tyrannicum dicitur Ariſtoteli *d. l.* Sed dari poteſt quædam pauperatio, ut ita dicam, quæ non eſt Tyrannica, talis ſc. quæ rem communem augere, & Remp. opulentam facere ſtudet, etiamſi res privatæ tenues admodum atque exiguæ fiant. Beata dicitur Reſp. Romanorum eo tempore, quo *privatus illis cenſus erat brevis, Commune Magnum*, ut ait Horatius. Et laudat Salvianus Maſſilienſis *l. 1. de Gubern. Dei*, Fabios, Fabricios, Cincinnatos, quod omnes conatûs ſuos ad communia emolumenta contuliſſent, *& creſcentes Reip. vires privatâ paupertate ditaſſent.* Mutatis autem moribus atque temporibus non fruſtra queritur Cato apud Salluſt. *Habemus publicè egeſtatem, privatim opulentiam.* In quem locum eleganter commentatur Auguſtinus *l. V. de C. D c. XIII.* dum ait: *Hinc erat domi induſtria, quam commemoravit*

Cato

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Cato, ut ærarium eſſet opulentum, tenues res privatæ. Vnde corruptis moribus vitium eſſe contrarium poſuit, publicè egeſtatem, privatim opulentiam. Quæ omnia propterea adduco, ut oſtenderem, Principem qui ſubditis ſuis identidem Tributa imperat, & pauperiores quotidie facit, non illicò pro Tyranno eſſe habendum, ſed tum demum, quando ex privata libidine, nullâ Reip. habitâ ratione, tantùm quia ita placet, & ut cupiditatibus ſuis inſerviat, bona ſubditorum ſuorum ad ſe rapit.

Hoc modo, ſi reliquas quoque Tyranni notas limitemus, neſcio utrum verè Carolo Regi tribui poſsint à Declaratoribus. Videant ipſi, & ſecum habitent. Nos enim ad particularia accuſationis capita deſcendere nunc nolumus. Satisfactum autem & ſolidè reſponſum ſibi habeant ab autore *Defenſionis Regiæ*, quin etiam à Rege ipſo in aureo *Iconis Baſilicæ* opere. Legant illud accuſatores, & quàm innocens fuerit Rex Beatiſsimus, diſcant tandem & agnoſcant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

EXERCITATIO VIII.

Rex Carolus, etiamſi fuiſſet Hæreticus, Sectarius, aut Schiſmaticus, non tamen propterea à Subditis ſuis deſerendus & infami ſupplicio afficiendus erat.

Vocabula SECTA & SECTARIVS hodiè ferè in malam partem uſurpantur, uti plerumque fieri conſuevit, quando ſub eodem titulo contraria Hominum inſtituta enunciari volunt. Uti enim apud Philoſophos olim αἵρεσις & Secta peculiare quoddam & à reliquis diverſum vitæ genus & inſtitutum notabat, quale deinceps etiam in communi vita iisdem nominibus exprimi ſolebat: Ita Chriſtiani etiam ſuam vivendi rationem à cæterorum inſtitutis plane diverſam hâc voce ſignificare minimè dubitabant. Relicta tamen eſt eadem ſeculis deinde conſequentibus ſolis verbi divini & fidei corruptoribus, neque unquam hodiè quisquam Orthodoxus facilè Sectarius dici velit, niſi ab hæretico fortè in ſignificatione famoſa ita dicto, cui calumniari & convitiis ludere ſolemne fuerit.

Vide

Vide de hâc voce Deſider. Herald. *in Tertulliani apologet. p.177. & l.2. Digreſſ.5.*

Cæterùm quid faciat propriè hæreticum aut Schiſmaticum, & num quis ſtatim pro hæretico ſit habendus, qui quocunque modo erret in Doctrina, litigent inter ſe Theologi. Ad hoc forum enim iſta non pertinent. Vid. tamen Vincentius Lirinenſis *adverſus hæreſes.* Salvianus Maſsilienſis *de Gubern. Dei. l.15. p.162.* 163. & in eum Conrad. Rittershuſ. *p.153.* Hôpffner. *diſp.1. de apoſtaſ. Rom. Eccleſ. th.12.* Richard. Montacutius *de Originib. part.2. p.409.* Hugo Grot. *de jure B. & P. l.2. c.10. p.326.* Vedelius *in Rationali. p. 67.68.* Rainoldus *prælection.1. p.3.4. ſeqq.* Deſider. Herald. *in Tertull. apol. p.183. & lib.2. Digreſſ.5.* Polydor. Virgil. *l.8. c.4.* Theoph. Raynaudus *lib. de Coronâ aureâ ſuper mithram Pontificis. p. 423.* & ibi citati autores, Idem *de Eccleſ. bicipiti puncto 9. p.130.* aliique plures. unde autem oriantur ejusmodi diſſenſiones Religionis in Rep. vid. Apolinare Calderini *diſcorſ.20. ſopra la ragion di Stato del Sign. Giovanni Botero p.164. ſeqq.* & quæ nuper prodiit, appendix ad Samuelis Petiti Diatriben.

Poſito verò nunc, fuiſſe Regem Angliæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

gliæ vel maximum inter omnes hæreticos, (quod tamen fortè non adeò facilè oſtendi poterit) imò quod majus etiam eſt, fuiſſe Gentilem & Perſecutorem Eccleſiæ, nunquam tamen propterea de throno dejiciendus & vitâ privandus fuiſſet. Jus enim divinum non facit diſcrimen inter Magiſtratum fidelem & infidelem, Orthodoxum & Hæreticum, ſed ſimpliciter vult omnem animam poteſtatibus ſuperioribus ſubjectam eſſe. Quò facit; quod ipſe Jehova Jerem. 27. jubeat Regi Babyloniæ, quem v. 6. vocat miniſtrum ſuum, obedientiam præſtare, cum interminatione mortis, niſi quis paruerit: quod pari modo Cyrum annos ferè 150. antequam naſceretur, Deus Paſtorem ſuum appellet, qui completurus ſit omnem voluntatem ſuam, quodque eidem nondum nato Regnum deputaverit. Eſa. 44. 28. cùm tamen & Cyrus & Nebuchodonoſor infidelis, alter etiam impius eſſet.

Et Chriſtianis quidem jam olim vitio dabatur à Gentilibus, quod de Imperatorum ſalute parum ſolliciti eſſent, ut qui pro iis vota diis fundere ac victimas immolare, Cæſarem etiam Dominum appellare recuſarent. Reſpondebant verò illi communiter, *ſe non quidem deos, quos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

agnoſcere poſſent nullos, ſacrificiis propitiare velle, Deum autem verum pro ſalute Principum ac Imperatorum aſſiduè venerari, dicturos quoque Imperatorem Dominum, ſed more communi, ſed quando non cogantur, ut Dominum Dei vice dicant. Vid. Tertull. *apol.c.*30.34.& quæ ex agone Cypriani & Sebaſtiani ibi annotat Herald. *pag.*117. Conf. Defenſionem Reg. *c.*4. Imperatores autem, Principes, & Magiſtratus eo tempore omnes erant infideles & idololatræ, imò adminiſtratione nonnunquam ſævisſimi Tyranni, Perſecutores inſuper Chriſtianorum truculentisſimi, nihilominus tamen pro eorum ſalute tum orabant fideles & ipſis obedientiam præſtabant, non obſtante idololatriâ.

Ita ſcil. de Rep. benè mereri poteſt etiam is, qui de fide malè ſentit. Minimeque abſurdum eſt, ut multi boni cives ſint, qui boni Chriſtiani non ſunt, quemadmodum loquitur Galliç Cancellarius Hoſpitalius in conventu delegatorum ad S. Germanum apud Petr. Suavis. p.528. Fides enim non ſuccumbit poteſtati politicæ; ſed eſt extra ejus limites, nec de eſſentia Reip. cujus ultimus finis eſt communis humani generis in hac civili vita

Bea-

Beatitudo. Et propterea hæreſis vinculum illud quaſi matrimoniale inter Principem & Subditos non diſſolvit, quemadmodum nec læſæ Majeſtatis, homicidii, veneficii, & talia ejusmodi crimina matrimonium diſſolvunt. Neque his, quæ fides Chriſtiana requirit, abolentur ea, quæ Deus ad conſervandum ordinem in Societate humanâ inſtituit. Non negamus tamen, unitatem fidei & religionis, ubi ad formam Reip. eſſentialem acceſſerit, non tantùm exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ facilius reddere, ſed etiam ipſam poteſtatem civilem quodammodo augere.

Etſi enim nobis non placeat, quod Baronius, Antonius Poſſevinus, Robertus Bellarminus, Thomas Bozius, JCti Dilingenſes & alii communiter tradunt, etiam hujus vitæ commoda ſequi veros fidei cultores, adeoque externam felicitatem perpetuam eſſe Orthodoxæ Eccleſiæ notam; contrarium enim non ex Scriptura tantùm & ſanctis Patribus, ſed ipsâ etiam Experientiâ manifeſtum eſt; dicimus tamen, quod imperantes & parentes attinet, quatenus tales, utrosque in ſuo officio juvari, ſicubi communi unius Religionis vinculo inter ſe connectantur, adeoque beatitudinem Civitatis & Civium ex

Reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Religione recta ſeu cultu divino recto non parum auctiorem fieri.

Tenetur verò Princeps & convenit Majeſtati civili, ut cives ſuos ad Religionem, quatenus ea rectæ Rationi congruit & ex natura peti poteſt, non minùs quam ad aliam aliquam civilem virtutem ſive præmiis ſive pœnis adſtringat. Eſt enim præcipuum & ſine quo communio aut civitas αὐταρκὴς eſſe non poteſt, ἡ περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλεια, ἣν καλοῦσιν ἱερατείαν. Ariſt. *l.* 7. *Pol.* *c.* 8. Ad Chriſtianam autem Religionem quà talem non niſi inſtituendo, ejuſque Sectatores ab injuriis diſſidentium protegendo & præmiis quibuſdam extraordinariis homines invitare Majeſtati licet, cogere non licet.

Hoc ergò modo Principem nunquam ocioſum eſſe volumus aut negligentem in Religione rebusque ad cultum divinum facientibus; ſed ipſi curam hanc abſtracta qualitate Religionis ſeu cultûs jure gentium competere arbitramur, quicquid communiter hodièogganniant Pontificii, qui nefas eſſe clamant Terrenæ quantæcunque Poteſtati rebus Eccleſiaſticis manum admovere, imò nefas eſſe, poteſtatem quamque Laicam de rebus ſacris Leges ſancire. Vid. Raynaudus *in Corona*

ſuper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

*ſuper mithr. Pontif. p.*353. 373. Diſtinguimus tamen inter poteſtatem Eccleſiaſticam internam, quæ circa Eccleſiaſtica ita verſatur, ut ſimul exerceatur eccleſiaſticè, i. e. docendo, adminiſtrando Sacramenta, ligando & ſolvendo peccata, hancque poteſtatem ſolis miniſtris Eccleſiæ facimus propriam: & Externam, quæ circa Eccleſiaſtica exercetur quidem, non tamen Eccleſiaſticè, ſed per modum directionis: qualem omninò competere dicimus Majeſtati civili, & cujus ratione Principes jure merito Paſtores Eccleſiæ dicuntur. Hoc enim ferè eſt *κύριον εἶναι τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαὶ* apud Ariſt. *l.* 3. *Pol. c.*14. ſive adminiſtrare munia Eccleſiaſtica, *ὅσα μὴ ἱερατικὰ,* quæ ad internum conſcientiæ forum minimè pertinent.

Atque hanc poteſtatem externam nullo unquam tempore Regi ſuo detractam voluerunt Britanni, poſtquam Hildebrandinum Dominatum excuſſerunt. Videatur Rex ipſe magnæ Britanniæ JACOBVS *in Epiſt. ad Ordines Fœderatos data* 6. *Martii*, 1613. Juellus *contra Hardingum pro apolog. Eccleſ. Anglic.* Martinus Bucerus *de Regno Chriſti ad Eduardum VI. Angliæ Regem lib.* 1. Witakerus *de*

Conci-

Conciliis. Epiſcopus Ciſtercienſis *adverſus Tortum.* Thomas Bilſonus Epiſcopus Wintonienſis *lib. de perpetuá Ecclеſ. Gubern.* Robertus Widringtonus, Vir Pontificiæ Religionis, apud Hug. Grot. *in Decreto Ordinum Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ pag.*13. Petrus Martyr. *ad* 1. *Sam.*8. Iſaacus Caſaubonus *in præfat. animadverſion. ad Baron.* quæ inſcribitur Sereniſsimo Magnæ Britanniæ Regi, ubi præter alios laudat Adgarum Regem Angliҿ, quod circa annum 959 de conſervanda pietate admodum ſollicitus fuerit. Plura jurisdictionis Eccleſiaſticæ exempla à temporibus Guilielmi Conquæſtoris usque ad regnum Eliſabethæ collegit Eduardus Coke, quem lege.

Quæritur nunc, ſi Princeps, Rex, aut quisquis ſuperioritatis aut Majeſtatis jura tenuerit, vi poteſtatis hujus Eccleſiaſticæ, qua tamen tum abuteretur, ſubditos ſuos ad hæreticam quandam aut erroneam Religionem ſive dolo ſive vi & armata manu ducere & cogere velit, utrum Subditi vel armis reſiſtere vel throno talem imperantem deturbare, aut ſi quid periculoſius inde metuendum ſit, prorſus è vita tollere jure poſsint?

Inter Pontificos nemo hodiè eſt, qui dubi-

dubitat, quin potiùs permulti ſunt, qui Regem hæreticum à quolibet etiam privato impunè occidi ſtatuant. Wilhelmus Roſſeus ſive Guilhelm. Giffordus Autor Calvini Turciſmi *lib. de vindict. Reip. Chriſtian. adverſus Reges impios & hæreticos p.156.* expreſsè inquit: *Omnis Rex hæreticus ſimul eſt Tyrannus.* Et poſtea addit: *Subditos debere eum Regem, qui non eſt catholicus, armatâ manu deponere aut etiam occidere.* Mariana *lib. 1. de Rege c.7. p.67.* vult, Subditos, ſi Princeps à Romana Religione deflectat & fiat hæreticus, ab omni homagio eſſe ſolutos, & ipſis permiſſum, Principem interficere, vel ferro vel veneno. Cum veneno verò minus eſſe periculum & majorem ſpem impunitatis. *Fiat igitur me autore* (inquit) *hoc temperamento, ſi non ipſe, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo concepto pereat, ut exterius ab illo adhibeatur, cum veneni tanta vis ſit, ut ſella eo vel veſtis delibuta vim interficiendi habeat, &c.* Conf. Gregor. de Valentia *t. 3. diſp. 5. q. 8. p. 3.* Bellarmin. *de ſummo Pontif. l. 5. c. 7.* Jacob. Gretſer. *apol. pro Ignat. c. 6.* An autem in crimine hæreſeos Regi aut Principi impingendo, quando deficit ſufficiens probatio, eundem

dem procedendi modum obſervari velint, quem in privatorum inculpationibus & denunciationibus exhibet *c. in omni X. de Teſtibus*, ut ſc. *in crimine hæreſeos accuſator numero Teſtium adſcribatur*, ſive etiam, *ut inquiſitores Hæreticæ pravitatis ex præſumtione quoque procedere poſſint & teneantur punire eum, qui ex dictis vel factis convincitur eſſe hæreticus, etiamſi revera non ſit*, prout vult Dominicus Bannes Profeſſ. Acad. Salmant. *in 2. 2. Thomæ q. 11. art. 2.* nobis nondum conſtat.

Joſephus a Coſta *l. 3. de procurandæ Indorum ſalute c. 2.* eò tandem temeritatis procedit, ut ſtatuat, *eſſe penes Eccleſiam integram abſolutamque poteſtatem, Fidem ab Hoſtium injuriis & contumeliis tuendi, eaque niſi graviora exinde mala conſequantur, adverſus conſilia & vim peſſimorum eſſe utendum. Itaque ſi expedire cenſeat, poſſe Eccleſiam ſine ulla dubitatione infideles Reges aut Dominos de Fidelium dominatu & ditione dejicere, eamque ad Fidei defenſionem committere Chriſtianis.* citatque ibi ſuffragatores ſuæ ſententiæ Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Cajetan. *ibid.* Durand. 2. *d.* 44. *q.* 3. *art.* 2. Vict. *Relect. de Indis.*

Sotum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Sotum 4. *diſt.* 5. *q. unic. art.* 10. alioſque plures.

Nec verò mirum eſt, à Pontificiis, & Jeſuitis inprimis, iſta talia communiter tradi. Qui enim Pontificis Romani autoritatem, præcipuè externâ Regum ope & potentiâ conſervari vident, & verò ex mutata Religione contemtus Papæ illicò naſcatur, danda ipſis opera eſt, ut Reges & Principes in eadem fidei Confeſsione retineant, & pro re natâ Excommunicationis terrorem incutiant, quò, niſi Regna fortè & Subditos perdere malint, ad defenſionem Romanæ Tyrannidis vel inviti adigantur. Atque ideò jus dominii temporalis adeò in gratia & ſupernaturalibus donis fidei, charitatis aut ſanctitatis fundatum ajunt, ut ſi Rex aliquis fidem Romanam deſerat, aut Romanæ obedientiæ jugum excutiat, hoc mortifero peccato privationem Regni mereatur, & ſententiâ Pontificis legitimo ſuo dominio ac regno hæreditario poſsit & debeat privari. Martinus autem Becanus *Theolog Scholaſt. p.* 2 *tom. poſter. tr.* 1. *c.*15. *q.* 4. cùm propoſuiſſet quæſtionem: *an hæretici priventur dominio & juriſdictione temporali*, & videret communem ſuorum ſententiam infirmo admodum niti funda-

mento, confitetur, non privari illos, ſi ſolùm ſpectetur jus naturale aut divinum, argumentis adductis ſatis gravibus, privari autem tantùm Eccleſiaſtico jure. Quàm frivolum autem & dilutum hoc ſit, nemo non videt.

Qui ergò tali modo Principem hæreticum imperio & Regno ſuo cadere, imò impunè occidi poſſe & debere aſſerunt, quomodo idem illi non aſſerant, ſicubi Princeps non ipſe tantùm hæreticus eſſe, ſed alios etiam & ſubditos quidem ſuos ad eandem erroris communionem cogere velit? Nos verò negamus, dominium temporale fundari in gratiâ, idque per rationes adductas à Joh. Davenantio Epiſcopo Sariſburienſi, *Determinat. Quæſt.* 30. negamus etiam, fas eſſe aut licere Subditis, Principi ad hæreſin cogenti armis reſiſtere; Emigrare eos & exulare jubemus, ſi quidem Princeps ad ſaniorem mentem redire nolit, cùm non armis ſed præconio verbi Religionem Chriſtianam propagari velit Deus Ter. Opt. Max. Nitimur enim hîc quoque rationibus, quas exercit. præced. adduximus.

Et quanquam nulla videatur juſtior cauſa populo arma capiendi contra Regem ſuum, quàm quæ velamento Religionis

præ-

prætexitur; triſti tamen experientiâ ubique ferè compertum eſt, divino Numini, quæ contra Principem legitimum à ſubditis, nec libertatis antiquo munere fruentibus bella geruntur, minus probari, etiamſi aſſerendæ veritatis & veri cultùs divini ſtabiliendi prætextu ſuſcipiantur. Ipſi Chriſtianorum Anteceſſores in primitiva Eccleſia etiam Ethnicis Imperatoribus, iisque monſtris ſæpè magis quàm hominibus, pietatem ſuam integram eſſe voluerunt, tantumque abeſt, ut in cauſa Religionis ipſis ferrea manu reſtiterint, ut cervices ſibi incidi maluerint, quàm rebelliones & arma adverſus imperantes movere. Quorum ſanè exempla nos ab omni ſeditione, etiam eâ, quæ talis propter ſanctum Religionis nomen non videtur, meritò prohibere deberent.

Thebæa Legio, quæ à Zabdâ triceſimo Hieroſolymarum Epiſcopo Chriſtianam Religionem acceperat, cùm à Maximiano Cæſare apud Octodurum Veragrorum vicum, unà cum reliquo Exercitu ſacra diis falſis facere juberetur, iter Agaunum verſus arripuit, ibique paucis apparitoribus cervices porrexit, tantùm, ut ne reſiſtere Imperatori ſuo videretur. Mauritius ejus Legionis Primicerius, à quo poſtea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Agaunum, vicus Mauricii dictus, eo tempore, quo decimatio primùm ab Imperatore inſtituta fuerat, commilitones ſuos ſic allocutus legitur: *Quàm timui, ne quisquam, quod armatis facile eſt, ſpecie defenſionis, beatiſſimis funeribus manus obviam afferre tentaret! jam mihi ad hujus rei interdictum Chriſti noſtri parabatur exemplum, qui exemptum vaginâ Apoſtoli gladium propriæ vocis juſſione recondidit: docens majorem armis omnibus Chriſtianæ confidentiæ eſſe virtutem, ne quisquam mortali operi mortalibus dextris obſiſteret, quin imò cœpti operis fidem perenni Religione compleret.* Cumque decimatione hâc peractâ, Imperator reliquis eadem, quæ prioribus juberet, ſic reſponderunt omnes? *Milites quidem, Cæſar, tui ſumus, & ad defenſionem Reip. Romanæ arma ſuſcepimus, nec unquam aut deſertores bellorum, aut proditores Militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus ſubire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, niſi inſtituti Legibus Chriſtianis dæmonum cultus & aras ſemper pollutas ſanguine vitaremus. Comperimus præcepiſſe Te, ut aut ſacrilegiis pollueres Chriſtianos, aut de denis interfectis nos velles terrere. Non inquiras*

longius latitantes. Nos omnes Chriſtianos eſſe cognoſce: habebis poteſtati Tuæ ſubdita omnium corpora: auctorem vero ſuum reſpicientes Chriſtum animas non tenebis. Pari modo Exuperius Legionis ejus Signifer iſta ad eandem verba feciſſe narratur: *Tenere me Commilitones optimi, ſecularium quidem Bellorum ſigna conſpicitis: ſed non ad hæc arma provoco, non ad hæc bella animos veſtros virtutemque compello. Aliud vobis genus eligendum eſt præliorum. Non per hos gladios poteſtis ad Regna cœleſtia properare.* Imperatori verò hæc nunciari jubet: *Non nos adverſum Te Imperator armavit ipſa, quæ fortiſſima eſt, in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma & non reſiſtemus, quia mori magis quam vincere volumus, & innocentes interire, quàm noxii vivere præoptamus.* Et paulò poſt: *Tela proiicimus, exarmatas quidem dexteras ſatelles Tuus, ſed armatum fide catholicâ pectus inveniet.* Eadem laniena & ſtrages pientiſsimæ Legionis his verbis narratur in veteri Martyrologio: *Cædebantur paſſim gladiis non reclamantes, ſed & depoſitis armis cervices perſecutoribus vel intectum Corpus offerentes, non vel ipsâ ſuorum multitudine non armo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

rum motione elati ſunt, ut ferro conarentur aſſerere juſtitiæ cauſam; ſed hoc ſolùm reminiſcentes, ſe illum confiteri, qui nec reclamendo ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus non aperuit os ſuum, ipſi quoque tanquam Grex Dominicarum ovium, laniari ſe tanquam ab irruentibus lupis paſſi ſunt. Hæc ideò prolixè recitavi, quia Electio Imperatorum & multa alia inſignia jura eo tempore penes exercitûs erant, qui, cum eſſent ſatis magni & multi, τὸ κύριον, ut Ariſtoteles vocat, ad ſe rapuerant, ut mirandum ſit, Legionem iſtam, quæ virtute multum præſtabat, tam facilem & cupidam ad ſupplicium fuiſſe.

Optimè patientiam iſtam Veterum Chriſtianorum deſcribit Cyprianus *ad Demetrianum: Inde eſt*, inquit, *quod nemo noſtrûm, quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecuturâ ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt.* Et Auguſtinus *de Civ. Dei. l. 22. Neque tunc civitas Chriſti, quamvis tunc peregrinaretur in Terris, & haberet tàm magnorum agmina populorum, adverſus impios perſecutores,*

tores, pro temporali ſalute pugnavit, ſed potius, ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur & multiplicabantur. Non erat eis pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro ſalute contemnere.

Nullibi autem legimus, Chriſtianos in primitiva Eccleſia bello ſuam Religionem adverſus Magiſtratum hæreticum propugnaſſe, aut ſaltem jus ſuum anteriorum Principum edictis quæſitum armis ſibi aſſeruiſſe & vindicaſſe. Et abſtinebant quidem illi ab ejusmodi bellis civilibus, non quia bello non eſſent apti, nam Imperatoribus militabant, & libenter trucidabantur, non quia impares eſſent copiis, nam omnia implebant, *Vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum, & pauciores hoſtes habebant Romani præ multitudine Chriſtianorum, penè omnium Civium, penè omnes Cives Chriſtianos habendo.* ut loquitur Tertull. *apolog.* non, quia deeſſent Duces: Paſsim enim tot Caſsii, tot Nigri, tot Albini Chriſtianos ſuarum eſſe partium optabant, adeoque nihil non machinabantur, ut juſtum ſibi facerent exercitum; ſed quia

dictum ſibi à Deo meminerant, in omni obſequio eſſe oportere ſubditos Magiſtratibus & Principibus & poteſtatibus, & quia Religioni ſuæ non aliter ſatisfacere poſſe credebant. Unde meritò *ad Scapulam* jactat Tertullianus: *Circa Majeſtatem Imperatoris infamamur; tamen nunquam Albiniani vel Nigriani, vel* Caſ*ſiani* (i. e. qui vel adverſus peſſimos Cæſares, ut Septimium, Severum aliosque conſpiraverant) *inveniri potuèrunt Chriſtiani &c.* Et *in apolog. c.35. Vnde Caſſii & Nigri & Albini? unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem, unde qui faucibus ejus exprimendis palæſtricam exercent? Vnde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Sigeris* (vid. hîc Herald. *commentar. pag.*138. & H. Grot. *de jure B. & P. p.*84. *&* 94.) *atque Partheniis audaciores? De Romanis, nî fallor, i. e. de non Chriſtianis, &c.* His ergò conſpirationibus omnibus, quæ à Marco Antonino usque ad Severum in plurium Imperatorum necem comparatæ fuerunt, neminem Chriſtianorum implicatum fuiſſe, gloriatur Tertullianus.

Poſt tempora Tertulliani, cum numerus Chriſtianorum in immenſum jam excreviſſet, & duo jam Principes Chriſtiani,

imperii habenas ſatis longo tempore tenuiſſent, Julianus Apoſtata ad imperium evectus dirisſimè Chriſtianos vexavit, nec tamen illi unquam in ejus mortem conſpirare, aut cujusquam rebellionis autores fieri voluèrunt, ſed ſolas preces & lacrymas oppoſuèrunt. Vid. Gregor. Nazianzenum, Ambroſium, Auguſtinum & alios.

Ipſum etiam hæreſeos crimen in ſe tale non eſt, quod ferro & flammis expiari, aut capitali ſupplicio puniri debeat. Nota ſunt ſanguinaria Pontificiorum Diplomata, & cruenta Inquiſitionis Hiſpanicæ Tribunalia, quibus quid effectum apud plerosque populos fuerit, loquuntur tot funeſtæ Hiſtoricorum paginæ. Juſtus Lipſius Vir ſtupendi ingenii, cùm Principi *in Politicis ſuis* præceptum hoc, URE SECA (disſentientes ſc. à publicè receptâ Religione) dediſſet, concitavit in ſe Dialogiſtas, qui eum acriter refutarunt. Emollire ergò non multo poſt ſuam iſtam ſententiam *Epiſt. 6. & 7. Centur. ad Familiar.* & explicare tandem, ſcripto libro de *una Religione* ſingulari, coactus eſt.

Verum enim verò, quid opus eſt hisce immorari, cum nec probaverint Britanni, Regem hæreſeos crimen incurriſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

nec ſi probent, ſolum hoc ſævitiæ ſuæ cauſam faciant; ſed undiquaque illi corradunt, quicquid Regem quocunque modo ſuſpectum reddere poſsit. Et pleraque tamen, quibus ad Pontificiorum partes ipſum inclinaſſe, fidem facere volunt, talia ſunt, ut Puritanorum ἐθελοθρησκείαν potius, quàm contemptam à Rege Religionem oſtendant. De Epiſcopis verò eorumque luxu & licentiâ quæ proferunt, etiamſi vera eſſent, aliud tamen nihil probant, quam Reformationem in Eccleſiâ maximè neceſſariam fuiſſe; ipſam autem hierarchiam propterea ſtatim tollendam, aut propter unum alterumque Epiſcopum vitiis immerſum; reliquos omnes abdicandos eſſe nunquam probabunt. Sed hîc tandem aliquando eſto pauſa!

Poteram quidem nunc ad alia quoque progredi & ſpecialia magis Declarationis capita examinare, juſtamque hoc modo pro Rege Magnæ Britanniæ Apologiam conſcribere; Sed enim cum iſta omnia ita comparata ſint, ut fundamenta, quibus deſtrui & confutari poſsint, generalibus hisce Exercitationibus ferè contineantur, inſuper etiam particularia Regni Anglicani jura, quæ tamen ipſa juri divino nihil quicquam derogare poſſunt, evolvere

omnia & ſingula mihi non liceat, finem hîc, ut dixi, facio & benivolum Lectorem ad Autorem Defenſionis Regiæ remitto. A cujus ſententiâ, ſi interdum diſceſſerim, quod ſemel iterumque factum diffiteri neque poſſum, neque volo, ſanè condonabit ille mihi, nec ægrè feret, ab libero homine in libera Academia ſine malitia ſibi contradici. Declaratoribus autem duris & cervicoſis Libertatis Zelotis ſanam precor mentem, ut ſeriâ pœnitentiâ ad vitæ innocentiam conſcientiæque cultum ſe componant, utque agnoſcant tandem & deteſtentur pernicioſam ſuam Politicam, quâ quidem ſemel approbatâ, dubium non eſt, quin omnis penitus inter homines evertatur Societas, & homo ipſe minùs in dies reddatur πολιτικὸς, qualem tamen eum à natura eſſe olim credidit Ariſtoteles.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

JACOBI SCHALLERI

SS. Theolog. Doct. & Philoſ. Pract. Profeſſoris

DISSERTATIO

Ad

QUÆDAM LOCA

MILTONI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

DISSERTATIO
Ad quædam loca
MILTONI.

POſtquam Orbis Sereniſſimi Regis CAROLI *ſupplicium ſtupuit; quale, ex quo regium in orbe nomen gubernandis Populis natum, quæque in medio, adhac uſque ſecula, tempora fluxêre, in nullis hiſtoriarum monumentis occurrit:* MILTONUS *prodiit, & facinori Defenſionem parare conatus eſt. Nos, qui procul ab Anglia degimus,*

—— & penitus toto diviſos orbe Britannos,

eorumque geſta fere ignoramus, nolumus ipſi controverſiæ miſceri. Agnoſcimus quando

—— —— —— omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere robora Gentes,
Concidere has,

Iudicia DEI *occulta, ſed non injuſta; exclamamus cum Apoſtolo Rom.* 11. *v.* 33. ὢ βάθος! *Scimus*

in extremo judicio demum manifeſtatum iri, quàm juſto judicio fiat, ut nunc tam multa ac penè omnia juſta judicia ſenſus menteſque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, juſtum eſſe, quod latet. *Auguſt. l. 20. de C. D. c. 2. 2. Neque eventu movemur; vulgus huc reſpicit, apud quem*

Hæc acies victum factura nocentem eſt.

Lucan. 7. v. 260. quia plerunque, judicio hominum in ſumma fortuna id æquius, quod validius. *Tacit. Ann.* XV. 1. 6. *Interim habet quædam generalia principia* MILTONUS, *quæ, quia Reipubl. adminiſtrationem diſſolvunt, cenſuram merentur. Miratur quidem Vir illuſtris, cujus merita in Rempubl. literariam, ut in aliis, ita etiam in hac materia veneramur, Cl. Salmaſius, hoc in Eccleſia reformata accidiſſe: Verùm ſi ad duriora quorundam ſuorum placita reſpexiſſet, mirari deſiiſſet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

I.

IN præfat. *Ratio multa plura argumenta ſuppeditat ad homines inter ſe æquandos, quam ſub unius imperio male perdendos.* *At* 1. εὐθὺς ἐκ γενετῆς *ſtatim ab ortu primo nonnulla inter ſe diſtiterunt, alia ut parerent imperio, alia ut imperarent.* Sicut in ipſo homine diſtincta naturâ cernuntur, *Anima* quæ excellentior & imperat; & *Corpus*, quod paret. Quod ſimile Ariſtot. ſæpius adhibet 1.Pol. 3.3. Pol.3. Imo, ut ipſa natura homines inæqualibus dotibus produxit: ita etiam ratione imperandi vel parendi æquales noluit; Sed potius ut virtute deſtituti, ſtuporeque ingenii demerſi pareant potius quam imperent. Allegat Philoſ. 1.Eth.4. Et Cic. pro Cluent. dictum Heſiodi l.1. op. v.291.

Optimus eſt, ſeſe qui novit cuncta magiſtro.
Eſt bonus ille etiam, qui paret recta monenti.

Quo dicto etiam Minutius Mag.

Omnes homines inter ſe æquãdi.

1. Pol. 1.

equit,

equit. ſe rurſus Fabio adiunxit apud Liv. l.22. Invertimus ergo illud axioma. Uti natura ipſa homines non æquales produxit, ita etiam noluit æquari. Ut domus ipſa natura conſtat ex diſsimilibus Domino & ſervo, Parente & liberis, Marito & uxore &c. ita & nec ipſa natura civitatem exæquare contendit, ſed potius diſsimili harmoniâ pulchre temperare & combinare intendit. Quid enim niſi Oſtraciſmus revocandus eſſet, quem tamen in bona forma Reipubl. locum non habere diſputat Philoſ. 3. Pol. 9. 2. Sicut inter ipſos Angelos datur aliquis ordo, Dominationes, Principatus, Poteſtates &c. Sicut etiam in ſtatu primævo hominis fuiſſet inæqualitas, in viro & uxore, in Patribus & liberis, in capitibus familiarum: Ita in ſtatu lapſo abſurdum eſt, naturam lapſam tendere *ad homines inter ſe æquandos.* Ubi non eſt gubernator, corruit populus. Prov. 11. v. 14. *Provideat Dominus* DEVS *hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* ibid. *Ne ſit populus Domini, ſicut oves abſque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

que paſtore. Num. 27. 16. 17. Natura E. lapſa non patitur homines exæquari. Gentiles quamvis lapſum ignoraverint, tamen ex conſideratione naturæ humanæ neceſsitatem imperii videre. conf. Cic. l. 3. de LL. Senec. de Clement. l. 1. c. 4. Uti natura ipſâ &c.

2. Quaſi vero ſub *unius imperio*. i. e. Monarchia tantum homines male perderenrur: cum tamen Philoſ. 4. Pol. 4. illam Democratiam, ubi penes multitudinem abſoluta eſt poteſtas, analogam eſſe *Tyrannidi* pronunciet: præcipue ſi adſit Demagogus aliquis, qui populum blanditiis occupet, aliosque calumniis opprimat. Atque hinc etiam *Democratiam* ſtabilem non eſſe pronunciat Phil. 5. Pol. 1. niſi rurſus *ultra æqualitatem Arithmeticam* reducatur etiam aliqua æqualitas *καθ' ἀξίαν*. Vulgus enim ſibi relictum, *ingenio mobili, ſeditioſum, cupidum rerum novarum, quieti & otio adverſum.* Saluſt. Jugurth. c. 66. *præcipue, ſi libertas & ſpecioſa nomina* prætexantur. Tacit. H. 4. 73. 7. Hinc etiam in

otio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

otio ſubinde contentiones & invidiæ. Quod poſt reges exactos per omnem Romanæ urbis hiſtoriam deduci poſſet, donec cuncta tandem bellis civilibus feſſa ſub unius dominatum recubuerunt. Imò auſim dicere, *Naturam non pati magnas Democratias ſtabiles & tranquillas.* Flor. l.3.c.12. de ſua Roma. *Neſcio, an ſatius fuerit, pop. Romano Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut hoc etiam carere dominanti in Italia ſua, quam eò magnitudinis creſcere, ut ſuis viribus conficeretur.* Et experientia teſtata eſt, *arduam fuiſſe eodem loci potentiam & concordiam.* Tac. IV. A.4.2. *Ideoque tandem pacis interfuiſſe omnem poteſtatem ad unum conferri.* Tac. H.11.2.

Quæ Reip. ſunt ſalutaria, ea & juſta.

Ibid. *Legem naturalem eſſe, ut omnia quæ Reip. ſalutaria eſſent, legitima & juſta haberentur.* Ubi illa Lex à DEO & natura ſancita? *Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit, id continuo ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcun-*

ſcuntur: hinc furta expilationes &c, Cic. 3. offic. Ita pleraque Tiberiana, Neroniana, Domitiana ſtabiliendæ dominationi inventa excuſari poſſent. ut & omnis Statiſtarum, Atheiſtarum, Machiavelliſtarum Politica, quibus

——— *ſanctitas, pietas fides,*
Privata bona ſunt, qua juvat, Reges eant. Sen. Thyeſt. act. 2. v. 2.

Sicut & Machiavell. de Republ. c. 9 excuſat Remi cædem, cum primi

——— *fraterno maduerunt ſanguine muri.*

Felicitas ultimus finis Rerumpubl. eſt ex virtue & honeſto: Unde rectius cum Ambroſ. 3. off. 8. concludimus *honeſtatem ſaluti præferendam*. Nolumus his immorari, quorum abſurditas ab omnibus fere Politicis monſtrata.

Pag. 94. *Nullus naturâ Rex.* Quod ſi per Naturam primævam illam intelligat, facile conceſſerim, nullum natura regem eſſe. Si vero Naturam lapſam, regi & regere neſciam, in obedientem & bono refragantem, tunc propius ad naturam inclinat, quam alia forma. *Nullus naturâ Rex.*

Philo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Philoſoph. 1. Pol. 1. *Maxime vero eſſe κατὰ φύσιν naturæ conſentanea vicinitas, veluti quædam domus Colonia &c. Itaque & principio civitates ſub regum imperio erant, & nunc etiam gentes: quia ex iis, qui ſub regno vivebant, convenerũt. Omnis enim domus βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου* ejus, qui ætate antecedit, regno ſubjecta eſt. E. & Colonia, i. e. familiæ plures, quæ ab una domo fluxerunt. Congruit cum hiſtoria ſacra. Nam amplificata familia liberi vicina loca occupabant, & manebant ſub directione Patris: nec nepotes longiùs progreſsi imperium avi reſpuerũt, qui præerat cum ſumma poteſtate & habebat jus vitæ & necis. Gen. 38, v. 24. Quam facile verò *Magni Patresfamilias* cum ſumma poteſtate Reges fieri poterant? Atque hinc etiam iſti Minuti reguli priſcis temporibus leguntur. Gen. 14. 34. 37. Nec abludit altera ratio Philoſoph l. cit. *Atque* DEOS *propterea ajunt omnes in Regio imperio eſſe. Quemadmodum enim formas, ita & vitas Deorum ſibi ac-*

com-

commodant homines. Scil. cum totus Mundus omnesque creaturæ unius DEI imperio ſubſint: ita etiam quam maxime humanæ naturæ, ad imaginem DEI creatæ accommodatum eſt regnum. *Natura commenta eſt Regem.* Senec. l. 1. de Clement. c. 19. *Principio rerum, gentium, nationumque omnium imperium penes Reges erat.* Juſt. l. 1. c. 1. Priusquam Democratiæ & Oligarchiæ nomen notum erat, Barbaricæ gentes, & omnes Græciæ civitates Regibus parebant. Iſocrat. in Panath. Hodiernæ quoque expeditiones Americanæ ubique fere reges invenère. adeò ſcilicet ètiam extra mores, & diſciplinam excluſas gentes ſolus inſtinctus naturalis ad Monarchiam duxit. Falſum E. & illud, quod habet c. 5. p. 101. *Natura quid ſuadeat & recta ratio non ex pluribus, ſed ex prudentiſſimis nationibus optimè perſpicitur. Græci, Romani, Itali, Carthaginenſes, multique alii ſuopte ingenio, vel Optimatium vel Populi imperium Regio prætulerunt.* Invertimus argumentum.

Græci

Græci in bello Trojano ſuos habuêre Reges. Homer. Iliad. β. ἀρχοὺς νηῶν PRINCIPES *navium* recenſet. Itali etiam ſuos Reges habuêre. Virg. 7. Æneid. enumerat.

Qui bello exciti REGES, *quæ*
quemque ſecutæ
Complerint campos acies: quibus
Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.

Romanam Rempubl. à Regibus, Carthaginenſem à Regina ortum ducere, extra controverſiam eſt. Quod v. deinde extincto Codro Athenienſes, Reges non amplius habuerint; non ideo factum, ac ſi Monarchia repugnaret naturæ, ſed ob alias cauſas. Juſtin. II. 7. 1. *Memoriæ nominis ejus tributū eſſe*, ait. Interim habuêre ſuos Archontas. *Codri filius Medon primus Archon Athenis fuit*. Vellejus 1. 2. 4. Poſt hos demum annuis Magiſtratibus permiſſa eſt Reſp. Imò ſi conſideremus fata Athenienſium, forſan melius fuiſſet, ſi alium loco defuncti elegiſſent Regẽ. Per exiguum enim tempus dominium Græciæ obtinuere.

nueret. Idem ferè de Romanis dicendum eſt. Poſt Reges exactos continuis litibus inter ſe concurrerunt Patres & Populus; Neque his certaminibus Remedium aliquod, niſi rurſus per Monarchiæ inductionem, adhiberi potuit: Imò in ipſisDemocratiis,temporibus periculoſis per Æſymnetas & Dictatores recurrebant ad Monarchicum ſubſidium. Unde invertimus argumentum: *Quod prudentiſſimis nationibus probatum eſt, illud recta ratio & natura docet. At unius Dominatus prudentiſſimis probatur.* E. 2. Interim nec ipſa propoſitio vera eſt. *Omne, quod prudentiſſimis nationibus probatur, illud naturæ & rationi convenit.* Sic enim Romanorum Circenſes, Athenienſium inceſtus & Oſtraciſmos, Lacedæmoniorum furta naturæ adſcribemus. 3. Poſito, Prudentiſsimæ illæ nationes, quamvis prætulerint Ariſtocratiam & Democratiam, non tamen excluſêre Monarchiam, i. e. non tamen ſequitur, E. TANTUM hæc ſunt à natura. E. Monarchia non eſt à na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tura. Poſitio enim unius, non eſt alterius excluſio. 4. *Naturale* hoc loco non ſumitur *pro ratione recta & judicio rationis:* ſed pro *inſtinctu naturali*, qui conſequitur ipſam naturam, pro naturalibus qualitatibus & affectionibus, quæ immediatè ipſam naturam conſequuntur; ut cum Magnes ferrum trahit: ita *naturale* eſt apibus in ſocietate ſub Rege vivere; *naturale* eſt corpori obedire animæ: naturale eſt ſeſe defendere, quia unumquodque animal ſuis armis natura inſtruxit. Ita homo naturâ ζῶον πολιτικὸν. Ariſt. 1. Pol. 2. *Antequam ullum judiciũ intellectus accedat.* Quando E. quæritur, quod regimen naturæ humanæ magis conveniat? rectius reſpondemus ex inſtinctu generali', qui in *pleriſque Populis & Societatibus* cernitur, quam in paucis, & quidem ob ſpeciales aliquas cauſas. Uti E. reliquis ἀγελαίοις *congregabilibus* animalibus nõ repugnat, imò maximè convenit regi ab uno; ut apibus, gruibus, gallinis, bobus, ovibus, capellis. Pol. 1. 6. ita etiam humanæ naturæ non

repu-

repugnat Monarchia, ſed una cum reliquis convenit. 5. Quod ſi verò per naturam intelligantur qualitates quædam ſpeciales & ſingulares, tunc accidere poteſt, ut quædam ſint contra naturam ſpecificam, quæ non ſunt contra naturam univerſalem. ex. gr. cibus aliquis noxius eſt huic vel illi homini; nec tamen ſequitur, E. etiam contrariatur Naturæ humanæ abſolutè. Coliphia fortibus viris conveniunt, E. ne omnibus? Ita accidere poteſt, ut Monarchia ſit contra indolem & genium Populorum quorundam ferociorum, quorum ingenia non patiuntur unius imperium; neque exinde concluditur, quod etiam ſit contra Naturam abſolutè. *Pauci libertatem, pars magna juſtos Dominos volunt.* Salluſt. l.4. hiſt. in ep. Mithrid. ita Deſpoticum imperium eſt, contra naturam Europæorum: non tamen contra naturam omnium. Ariſtotel. 3. Pol. 10. *Barbari, quia moribus ſervilioribus ſunt, quam Græci, & Aſiani, quam Europæi, herile imperium perferunt, neq; hoc ulla ex*

parte ægrè ferunt. Vide hujus rei cauſas apud *Hippocratem libr. de aëre, aquis & locis*, quas exſcribere noluimus. Idem, 3. pol. c. 12. ἔστι γὰρ τι φύσει δεσποτὸν, καὶ ἄλλο βασιλευτὸν, καὶ ἄλλο πολιτικόν. *Eſt aliud natura obnoxium herili dominatui, & aliud regio, & aliud civili.* Et Polybius ab initio l. 6. pulchrè declarat, quomodo regnum natura naſcatur. 6. Neque illud concedi poteſt, quando putat; illud naturæ contrariari, quod prudentes ex recta ratione repudiant ob ſpeciales cauſas. Nam prudentiſsimus ex rectæ rationis judicio ob inſtantes neceſsitates abſtinet à conjugio, non tamen licet inde concludere, E. cœlibatus homini naturalis eſt, & conjugium contra naturam. Recta ratio aliquando amiſsionem vitæ, bonorum, ſuadet. E. etiam hæc natura ſuadet? Non, quia recta ratio circumſtantias ſingulares temporum attendit: ita poteſt accidere, ut recta ratio quædam ſuſcipiat contra inclinationes naturales. 7. Quod verò Romani & Græci prætulerint alias formas, non

ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ideo factum, ac ſi Monarchia repugnaret naturæ: ſed ex iis, quas hiſtorici notant. Quod pleræque Græciæ civitates Democratiam & Oligarchiam ſectatæ ſint, cauſam adſcribit non naturali aut præſtantiori Genio, ſed potentioribus duabus Rebuspublicis Athenienſi & Spartanæ, quæ dominium in reliquas Græciæ nactæ, ſuas formas introduxêre οὐ πρὸς τὸ τῶν πόλεων συμφέρον σκοποῦντες, ἀλλὰ πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῶν, *non utilitatem civium ſpectantes, ſed ſuam.* 4. pol. 11. Ita Athenienſes & Reges habuere & Archontas, neque tam ex inclinatione naturali, quam tædio Archonton, Democratiam exorſi ſunt. Lacedæmoniorum Rempubl. non Populus fecit oligarchicam, ſed ipſimet Reges. Lycurgus primum temperamentum interpoſuit; Theopompus Ephoros. Romani non tam ex naturali inclinatione, quam indignatione Tarquinii regium excuſſere jugum, quibus etiam tempore Imperatorum nomen magis inviſum fuit, quam res ipſa. Polybius ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

initio l. 6. elegantem introducit diſcurſum de *Revolutione Rerumpubl.* & Monarchiam *ſine certa conſtitutione naturâ conſtare dicit* : deinde alias cauſas recenſet, quomodo paulatim uſque ad Democratiam delabatur. Inprimis verò notandum eſt judicium Polybii in ſeqq. de Athenienſi, Thebana & Spartana Republ. De Athenienſi dicit, *quod nec augmento competenti, nec ſtabili vigore potita, nec moderatas rerum mutationes ſortita ſit.* Item, *Thebanis non Reip. Status, ſed eorum virorum virtus, qui ipſis præerant, proſperitatis cauſam Thebæis attuliſſe, conſequens è veſtigio fortuna cunctis patefecit. Res enim illorum una cum Epaminondæ & Pelopidis vita & auctæ fuerunt, & confirmatæ, & rurſus dilapſæ. Unde ſanè liquet cenſendum, non Rempubl. ſed viros illos in cauſa fuiſſe, quod civitas Thebæorum ſplendorem illum conſecuta fuerit, quo tum temporis exſtitit illuſtris. Pari ratione & de Athenienſium Republ. ſentiendum eſt. Illa ſiquidem ſæpenumero, præ-*

ſertim

ſertim per virtutem Themiſtoclis illuſtriſſima facta, confeſtim contrariæ mutationis experientiam (NB.) propter ipſius inæqualitatem accepit. Ex quo loco potius nos deducimus Græcos, prudentiſſimos aliàs, in formanda Republ. erraſſe. Unde concludimus, libertatem purè concedendo prudentiſſimos, teſte Polybio, erraſſe; & per conſequens, talem potius cum recta ratione & natura pugnare; niſi ad exemplum Spartanæ Reipubl. aliquo temperamento Monarchico fulciatur, qualem mixturam etiam Polyb. in Romana agnoſcit.

Regna dependent à Populo, qui ſemper ſupremam retinet poteſtatem.

Pag. 3. *Regem Populus ſibi dedit. p. 15. Penes Populos omnes arbitrium ſemper fuit eâ, quæ placeret, formâ Reipubl. utendi. p. 29. Omnes Reges à populo, & eâ tantum ratione à* DEO, *quatenus omnia à* DEO. *p. 134. Iure naturali omnis Rex habet populum ſuperiorem. p. 127. Poteſtas à populo Regi data eſt fiduciaria.*) En fundum & fundamentum totius parricidalis doctrinæ! Refellimus autem hæc 1. *conſiderando originem Rerũpub.*

Temporibus antediluvianis Adamus & primogeniti habebant ſupremam auctoritatem. Quis enim diceret penes nepotes, Pronepotesque &c. fuiſſe poteſtatem collatam in ſuperiores. Eodem modo poſt diluvium Noah, cum tribus filiis poteſtatem à ſuis abnepotibus, adnepotibus, trinepotibus &c. non accepit. Detur enim ibi temporis punctum, quo populus ſuperioribus poteſtatem dederit? Primogeniti aut Seniores familiarum reliquos regebant. Ita Moſes Gen. 25. v. 16. Iſmaëlis duodecim filios vocat Principes Populi: ita & Geneſ. 36. Eſaui in poſteris Principes ſecundum ordines ſtirpium recenſet. Non E. Populus detulit illam poteſtatem, ſed ex Magnis Patribusfamiliâs facti ſunt paulatim Reguli vel Principes. Hunc ordinem regendi deinde interturbavit NIMRODVS, qui novo titulo Principatum acquiſivit ſcil. *jure belli.* Nimrod *arripuit inſuetam primus in Populo tyrannidem, regnavitq; in Babylone.* Hieron. in tradit. Hebraic. ad Geneſ. 10. v. 10. Et ſanè, ſi

omnium
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

omniũ ſæculorum hiſtoriam evolvamus; plura imperia vis enixa eſt quàm electio. Paucíſsima nominari poſſunt, quibus libera ſuffragia Gentium initium dederint. Num enim tales quos victor perdere potuiſſet, ſervare maluit, & in obſequium ſuum redigere, jus & poteſtatem ſuam *ſuperiorem* in regem contulerunt, aut retinuerunt? Num Romani devictarum gentium conſenſum in fundando imperio expectarunt? Non, ſed ex ſuo arbitrio rem geſſerunt, terram in provinciam redegerunt, tributa impoſuerunt; non exſpectato conſenſu populi. Ita etiam Iſraëlitæ Cananæis devictis, etiam invitis, imperarunt. Fuêre quoque, qui non à populo electi, ſed qui populum ſibi junxêre, ut Cecrops palantes homines in oppida coëgit. Pauſan. in Attic. Romulus aſylo conſtituto homines ad ſe pellexit. Similia de Amphione Horat. canit, de Arte Poet. hinc

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Ariſt. 3. Pol. c. 10. hoc ad genus Monarchiæ Heroicæ refert, cum quis Rex factus, διὰ τὸ συναγαγεῖν ἢ πορίσαι χώραν, *quia diſperſos congregaſſet, aut quia ſolum agrumque præbuiſſet.* Ita ſcil. non à populo facti ſunt Reges, ſed populum ſibi jungendo *fecerunt ſibi regna Patria* & hæreditaria, non dependentia à Populo. Ex hoc fundamento *Romulus, prout libitum, imperitaverat.* Tac. A. III. 26, 5. Ad hanc ſpeciem etiam referimus *Migrationes Gentium*, cum aliquis audacior & potentior redundantia populi multitudine laborantis examina colligebat, & dux exibat; deinde, ubi locum accepiſſet habitandi, ſe regem conſtituebat. Æneas excisâ Trojâ, *collectam exilio pubem, miſerabile vulgus, ſuſcepit*, nec accepit ab illis poteſtatem, ſed ipſemet

—— *jura domosq; dabat.*

Virg. 3. Æneid. verſ. 137. Ariſt. l. 3. Pol. c. 10. aliud genus Monarchiæ recenſet, *Barbaricum*, *hæreditarium & legitimum. Nam Barbari quod moribus ſunt ſervilioribus,*

quam

quam Græci, & Aſiani quam Europæi. ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν. *herile imperium perferunt, neq; hoc ulla ex parte ægrè ferunt.* Quod autem eſt Deſpoticum imperium, *quod patrio & hæreditario jure,* quod *lege ſucceſſionis* quis tenet, illud non Populi beneficio, vel non à populo dependet. Habet enim hæc *Monarchia poteſtatem Tyrannidi perſimilem,* quæ à Populo non dependet. Populus enim, ut h. l. loquitur, *imperium paſſus eſt,* non detulit; Atque ita non jure populi, *ſed jure primi acquirentis in* πατρικοῖς *ſeu hæreditariis regnis ſucceditur.* Hinc etiam à Philoſ. Patria dicuntur regna, quia ut patrimonium non à populo, ſed à patre in poſteros transmittuntur.

2. *Originem poteſtatis.* Hæc non eſt à populo, ſed *immediatè* à DEO, qui, ut Medicus naturæc orruptæ, hanc poteſtatem conſtituit. Naturæ corruptæ dicimus cum Theodoreto Orat. 7. de Provid. DEUS *velut pharmacum quoddam mali expulſivum iniquitatis ulceribus impoſuit Magiſtratus admi-*

niſtrationem. Locus clariſsimus Numer.27. verſ.16.17. *Provideat Dominus* DEUS *ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc.* v.20. *ut obediat ei totus cœtus filiorum Iſrael.* Nulla hic poteſtas penes populum, qui obedientiæ gloriam ſibi tantùm relinquit. Nulla collatio poteſtatis à populo fiduciariæ, etiam in Saulis, in Davidis electione. DEUS eſt, qui & perſonam deſignat, & immediatè poteſtatem cum perſona conjungit. Verùm ne quis objiciat, *in Populo Iudaico multa occurrere ſingularia*; Adducimus Prov.8.v.15.16. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; per me Principes imperant.* Audi Auguſt. de natura Boni contra Manichæos.c.32. *Etiam nocentium poteſtas non eſt niſi à* DEO, *ſicut ſcriptum eſt, loquente ſapientiâ. Per me Reges regnant & Tyranni per me tenent terram &c. Injuſtum enim non eſt, ut improbis accipientibus poteſtatem nocendi, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur.* Rom.13. v.1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

οὐκ ἔστιν ἐξουσία εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. *Non eſt poteſtas niſi à* D E O: *& quæ ſunt poteſtates, ſunt à* D E O *ordinatæ. Itaque quisquis obſiſtit poteſtati,* D E I *ordinationi obſiſtit*. verſ. 4. Θεοῦ γὰρ διάκονος ἐστι. D E I *enim miniſter eſt.* Quibus particulis excluſivis omnis alia cauſa conſtituens, *ut populus*, removetur: Quemadmodum E. ſolus DEUS creavit *immediatè* orbem; ita etiam *immediatè* inſtituit in remedium naturæ lapſæ hanc poteſtatem. Uti vero Magiſtratus διάκονος DEI, ita etiam Reges Sap. 6. v. 5. ὑπηρέται *Vicarii* τῆς αὐτοῦ βασιλείας. quia immediatè vicariam poteſtatem ab ipſo acceperunt, non à populo, qui non niſi abſurdè diceretur, D E O vicarium adjungere. Ethnici quoque hac phraſi uſi ſunt. Plinius de ſuo Trajano. Mundi parens *te* (ſc. Trajanum) *dedit, qui erga omne hominum genus* V I C E S U A *fungereris*. Paneg. c. 80. n. 6. Et Seneca in perſona Neronis: *Ego ex omnibus mortalibus placui electusque ſum, qui in terris Deorum*

V I C E

VICE *fungerer. l.*1, de Clement. c.1. Ob hanc cauſam etiam dicuntur Dii, filii excelſi, Pſa.81.v.6.Ex. 22.v. 8. quia vices DEI in his terris gerunt, quas nullus populus demandare poteſt. Tertull. Apol.c.3. *Sentiunt* (Imperatores) DEUM *eſſe ſolum, cujus ſolius in poteſtate ſunt.* quæ falſa eſſent, ſi populus haberet jus ſuperius. c.33. *Suſpiciamus Imperatorem, ut eum, quem Dominus noſter elegit, ut merito dixerim, noſter eſt magis Cæſar, ut à noſtro* DEO (non à populo) *conſtitutus.* Epiphan. contr. Archont. *Poteſtas mundana gladii poteſtatem accepit,* οὐκ ἀλλαχόθεν *non aliunde* (ſc. à populo) *ſed ex* DEO *ad ultionem.* conf. etiam Chryſ. hom.23. & Theophylact. in h.l.

Eadem repetuntur Dan.2.v.37. c.4.v.17. 24.25.31.32. c.5.v.21. 23. ubi DEUS *cœli Nebucadnezari dicitur dediſſe regnum & imperium, & rurſus ademiſſe, ut agnoſcerent viventes dominari excelſum in regno hominum*: poteſtatemque Regum non eſſe ab hominibus, ſed à DEO. Atque ex his

omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

omnibus jam concludimus cum poteſtas illa regendi ſit immediatè à DEO, *non à populo: etiam Populi nullas eſſe partes vel in conferenda illa poteſtate, vel adimenda.*

Præterea vix in rerum natura dari poterit aliquod temporis punctum, quo *poteſtas regendi* fuerit penes omnes. Proferatur unicum ſaltem ex omni hiſtoria exemplū. Naturali enim lege convenit populo, ut regatur & *patiatur* regimen, non ut regat & exerceat *poteſtatem regendi activam. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita.* Rom.13. v.12. *Admone illos poteſtatibus ſubditos eſſe,* Tit.3. v.1. *Subditi eſtote propter Dominum.* 1.Petr.2. v 13. Divina E. lege propter Dominum, propter conſcientiam incumbit populo, ſubeſſe, non habere *poteſtatem regendi.* Imo videtur contra naturam eſſe, & fieri non poſſe. *Vbi enim non eſt gubernator, corruit populus.* Prov.11. v.14. non autem corrueret, ſi ipſemet ſupremam haberet poteſtatem, & Gubernator tantum fiduciariam. Fieri non po-

teſt,

teſt, in החברות gubernator navis ſit ipſa navis; Dux ipſe exercitus. Hæc enim uti diſtincta ſunt, ita non ſe confundi vel in unum miſceri patiuntur. Chryſoſt. hom. 34. in Ep. ad Hebr. *Ducem & Rectorem non habere malum eſt, & principium defectus ordinis, & perturbationis & confuſionis. Nam ſi chorpheum à choro & Ducem ſuſtuleris, non erit amplius chorus, modo congruus & ordinatus: Et ſi à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius numeroſa & ordinata acies: Et ſi à navigio dempſeris gubernatorem, navem demerges: Ita etiam, ſi à populo rectorem abſtuleris, omnia evertiſti & deleviſti*, Jungamus his locum Num. 27. 17. *Sicut oves non habentes Paſtorem*; uti paſtoritia poteſtas non eſt in ovibus, ita nec regendi in Populo.

Interim tamen diſtinguimus inter ipſam *Poteſtam* in abſtracto conſideratam, & *ſeparationem ſubjecti* alicujus, quod poteſtatem illam uſurpat. Prior poteſtas eſt *immediatè* à DEO, qui illam cum homi-

hominibus deſignatis conjungit, pro forma uniuscujuscujuſque Rei-publ. jam cum uno, jam cum optimatibus, jam cum pluribus, ut in Monarchia, Ariſtocratia, Democratia. unaquæque enim hæc forma nos deducit in illius Poteſtatis à DEO *inſtitutæ* finem, ſcil. *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate.* 1.Tim.2. v.2. Medium autem hoc, quo certa Perſona ad hanc deſignatur, non eſt ſemper à populo ordinatum. Electio & ſucceſſio, ſæpius dependent à jure & ordinatione primi acquirentis, vel etiam ordinatione prudentum, vel aliis cauſis & rationibus; raro à toto populo. & licet hoc etiam concederetur, tamen nihil faceret ad collationem ipſius *poteſtatis*. Inſuper ſi hoc quoque concederetur: tamen poſtquam Populus aliquem deputavit ad hanc poteſtatem, & DEUS poteſtatem ſuam cum delegata perſona conjunxit: non eſt in populi poteſtate amplius delegationem illam retractare: niſi forſan in regnis & Magiſtratibus

ex

ex certo pacto. Nervosè Valentinianus Imperator, *Vt me ad imperium vobis eligeretis, in veſtra erat poteſtate. At poſtquam me jam elegiſtis, quod petitis, in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere; mihi verò quæ facienda ſunt, cogitare.* Sozom. l.6. hiſt. Eccl. c.6. Non enim in omnibus ſequitur. Qui haber poteſtatem conſtituendi, habet etiam rurſus poteſtatem deponendi. Uti enim non ſequitur. Qui habet poteſtatem conſtituendi, habet etiam rurſus poteſtatem reſcindendi contracta, ſtipulata. Sit exemplum in ſervis voluntariis, qui ſpe alicujus lucelli libertatem abjurant.

—— *præbentque caput dominæ venale ſub haſta.* Juvenal Sat. 3. qualem cautionem etiam Imperator in Inſtitut. de jur. perſon. l.5. ff. de ſtatu hom. ratam habet, *cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus eſt.* Tacit. in German. c.24. n.3.4. refert, Germanos aliquando, *cum omnia defecerunt, noviſſimo jactu ſcil. aleæ de liber-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

libertate & de corpore contendiſſe. Victum, voluntariam ſervitutem adiiſſe, & quamvis junior, quamvis robuſtior fuerit, alligari ſe & venire paſſum fuiſſe. Tales, inquã, ſervi, poſtquam ſe ita ſponte Domini ſubjecêre imperio, nullam ampliùs poteſtatem retinent, ſeſe ad libertatem vindicandi, vel etiam duriora juſſa detrectandi. In ſacris quoque ejuſmodi exemplum occurrit, Exod. 21. v. 5, 6. in ſervo, qui ſe in perpetuum addixit Domino. Hic non magis quàm reliqui ſe opponere poterat Domini voluntati, ſed æquè ſubjectus erat, quia omni libertati renunciavit, & quicquid poteſtatis habuerat, contulit in Dominum. Atque hoc factum eſt, non tantùm in privatis familiis, ſed in integro Populo Gen. 47. v. 19. Ægyptii ſe vendunt Regi urgente fame, neque ullam poteſtatem aliquam adverſus Regem ſibi reſervant. Maryamdini, quorum & Plato l. 6. de LL. mentionem facit, Heracleotis, Penaſtæ Theſſalis ſeſe manciparunt. Athen. l. 6. c. 7. & teſtatur Philoſ. 3. Pol. 10

Bar-

Barbaros ſponte ſe Regibus ſubii-
cere, quorum tamen Imperium, ſi
non tyrannicum, attamen Deſpo-
ticum eſt. Neque carent hæc Im-
peria ſua utilitate; quia turbulenta
iſta Barbarorum ingenia meliùs ſe
habent ſub Herili imperio, quam ſi
libertatis licentia mutuis cladibus
inter ſe concurrerent. Ut autem in
his ſervitutibus nemo poteſtatem
retinet, ſed omnem Domino reſi-
gnat: Ita etiam res ſeſe habet in
Populo, qui quidem libertatem
non exuit: at poſtquam ſeſe regi
alicui ſubjecit, & in eum poteſta-
tem omnem contulit, accedente
præcipuè conſenſu, expreſſo ſive
tacito, ſuperveniente etiam diutur-
nitate temporis, quâ omnium im-
peria ab initio invalida invaleſcunt
non poteſt illam repetere, ſed nil
niſi *obſequii gloria* relinquitur. Ta-
cit. A. VI. 8.5. 2. Aliter res ſeſe
habet in Mixtis formis, ſicuti Phi-
loſoph. etiam regna alia dicit *νόμι-
μα legitima*, qualia ſunt, quæ ho-
die dicuntur *pactionata*: alia *παμ-
βασιλείαν* continent, de qua 3. Pol.
11. & ſunt *abſoluta*. In illis Deus,
qui

qui non minùs mixtarum formarum, quàm παμβασιλείας ſive *abſolutæ Monarchiæ* autor eſt, tradit quidem poteſtatem, quâ etiam in V. T. judicum adminiſtrationem circumſcripſit. At quia deputatio perſonæ ex mutua conventione oritur, meritò deinde tales principes ex lege contractus judicantur, & ſi delinquant, merito rurſus deponuntur.

Licet Regem nequã ſeu Tyrannum regno pellere.

Pag. 4. *Licet Regem nequam ſeu Tyrannum regno pellere.* Reſp. Magnum adhuc diſcrimen eſt inter Regem nequam & Tyrannum. Cum enim Tyrannus is tantũ ſit, non qui vitiis deditus eſt privatis, ad quæ vitanda omnes homines communi naturæ lege obligantur; ſed quæ directè contra *officium Regiũ* pugnant, privatis graviora ſunt, & *Publicum bonum* evertunt; Rex verò nequam etiam ex *privatis vitiis* dici poſsit; non ſtatim tamen concludendum eſt ex poſita Miltoniana Theſi. *Licet Tyrannum regno pellere. E. & Regem nequam.* Ratio politica eſt, quia privata ſcelera, quibus Rex ſuccumbit, non niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

niſi per accidens evertunt Remp. Trajanus amoribus puerorum & vino deditus, teſte Dione l. 68. p. 775. tamen nihil ob eam cauſam *turpiter aut nequiter* fecit paſſusve eſt, *quamobrem jure reprehenderetur.* Auguſti libidines & vitia nullus Romanorum ſcriptorum occultat, qui tamen titulo *Patris Patriæ* à Senatu ornatus eſt. Facilis hic lapſus in tanta licentia. Χαλεπὸν δὲ μετρῆσαί τε καὶ ὅρον ἐπιθεῖναι ἐπιθυμίαις ὑπηρετούσης ἐξουσίαν. *Difficile enim eſt, qui potentiam ſibi miniſtram habet, moderari ſibi, quaſique frænos imponere cupiditatibus*, inquit M. Antonius apud Herodian. l.1. c.4. p.10. Et certè ſi velut ab Eleuſiniis, quibus ſubmovebantur voce præconis, impii & ſcelerati; ita à Regni ſacris arcendi eſſent hoc vitio notati Principes; non ſolus Nero cogeretur ſtare foras. Non contemnendum h.l. illud Marcelli, *bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos.* Tacit. IV. H. 8.3. aut etiam Cerialis: *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera*

tera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines erunt, ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur. Tacit. H. IV. 74. 4. Quid enim fieret tandem cum Republicâ, ſi vitiis Principum iraſci liceret?

Neque ex SS. Scripturis aliud elicitur. David Vir ſanguinis erat, & in populi numeratione arrogans: Salomon impius & in gratiam meretricum idololatra: Aſſa ſeverus & Prophetarum perſecutor. 2. Paral c. 16. v. 10. neque tamen populus inſurrexit, ſed DEUS tantum delicta ipſorum puniebat. Rex Achab *venundatus erat ad malum*: nec tamen populus inſurrexit, ſed DEUS extraordinariè inſtinctu Eliſæ vindictam demandavit Jehu. Saul impius erat, nec tamen David ſibi vel populo licere putavit Regem interficere. Ammon præter idololatriam populum tributis deglubere ſolitus, à Parricidis occiſus quidem eſt: quos tamen populus majeſtatis damnavit 2. Paral. 33. Videatur prolixe de

hac

hac re Arniſæus de Autor. Princip. quem exſcribere nolumus. Tyrannus E. non erit rex privatis vitiis commaculatus, quibus ſibi potius labem aſpergit, quam Reipubl. nocumentum infert: ſed qui publicis delictis Rempubl. evertentibus eſt deditus, ut ſi Caligula aliquis optet, *Vtinam populus Rom. unam cervicem haberet*! Suet. Calig. c.30. ſi queratur, *quòd nullis calamitatibus publicis tempora inſignirentur*, c.31. Si Vitellius aliquis deteſtabili voce, *optimè olere occiſum hoſtem, ſed melius civem*, confirmet. Id. in Vitell. c.10. ſicut etiam Philoſ. 4. Pol.10. Tyrannum *fine* à rege diſtinguit. ſcil. quod hic cum deſtructione Reipubl. ſuum privatum curet.

Atque hic Tyrannus rurſus vel *titulo* talis, vel ſaltem *exercitio*. Priorem ſcil. qui ſine legitimo *titulo* alienam majeſtatem invadit, regno pelli poſſe extra controverſiam eſt. At Tyrannum *exercitio* removere Populo I. *non competit*. Habet hic locum illud Auguſtini 5. de C.D. c.21. *Qui Mario dedit impe-*

imperium, ipſe etiam Cajo Cæſari: qui Auguſto, ipſe etiam Neroni: qui Veſpaſiano, &c. ipſe & Domitiano. Conf. *Iren. l.5. adverſ. hæreſ. c.20. Quidam Regum ad correctionem & utilitatem ſubditorum dantur à* DEO, *& conſervationem juſtitiæ: quidam ad timorem & pœnam.* Origen. hom.4 in lib. Jud. *Non ſemper Princeps Populi per* DEI *arbitrium datur; ſed prout merita noſtra depoſcunt.* Apoſtolus Paulus. Rom. 13. v.1. *Omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus* ſcil. tum temporis, Tiberio, Caligulæ, Claudio, Neroni, humani generis Monſtris, ſubjicit, *ut* DEI *ordinationi.* Et 1. Pet 2. v.13. ſubjectos Chriſtianos eſſe vult omni poteſtati humanæ propter DEUM. non tantum poteſtatibus bonis, quia his obedire jucundum, non arduum; ſed etiam pravis: ſicut etiam pravis parentibus optemperandum & cit. cap. v. 18. pravis dominis. Habent enim & pravi principes poteſtatem à DEO, quamvis illa deinde abutantur, ſicut filii Samuelis, Pilatus

& alii. 2. *Nec conducit*, quia rarò ea moles *convelli* ſine convellentium exitio poteſt. Tacit. IV. H. 74.6. Poſt Neronem occiſum plus ſanguinis fuſum per paucos menſes, quam per 14. annos ſui imperii. Aliquando etiam Reip. melius eſt injuſtum imperium alicujus Cæſaris, quam civile bellum. Vid. dictum Cæſaris ſcil. *non tam ſua, quam Reipubl. intereſſe, ut ſalvus eſſet*, apud Sueton. c. 86. Solent enim civilia bella funeſtiora eſſe, quam injuſta, moderata tamen, imperia. Plut. in Bruto. adeo, ut in corrupto Reipubl. ſtatu, quando Reſpubl. *discordiis civilibus feſſa* Tacit. I. 1. 3. amplius conſervari non poteſt, niſi unius imperio; melius ſit obedire *Tyranno* etiam *titulo*, modo *regiè* imperet, quam cum totali excidio Reip. illum tollere. Ita enim DEUS Rempub. ob ſcelera per Tyrannum caſtigat & ſimul etiam reſtaurat. Sit exemplo idem ille Jul. Cæſar, in cujus imperium poſtquam populus conſenſit & noxiæ libertati renunciavit, jam quodammodo feſſa Reſp.

reſpiravit. Poſt ejus necem, quam miſerè diſcerpta ſit Reſpubl. notum eſt. Non igitur longè recedimus à Dione, qui Cæſaris necem Parricidium vocat; & ne dubia eſſet ſceleris æſtimatio, ipſa divina vindicta percuſſores ſubſecuta eſt, quorum *nemo triennio amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars prælio: Nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt.* Apoſtolus igitur Paulus 1. Tim. 2. v. 2. preces præſcribit, ut *ſub eorum tutela tranquillam vitam degamus.* Idem remedium ſuggerit Jerem. c. 29. v. 7. quia ſi illi *benè erit, & vobis erit.*

Petrus ſcripſit tantum diſperſis advenis.

Pag. 50. Ad locum Petri excipit Miltonus, *Petrum ſcripſiſſe diſperſis advenis.* Reſp. 1. ex Auguſtin. l. 1. contra Creſcon. c. 9. *Memento Apoſtolicas Epiſtolas non eis tantum ſcriptas, qui tempore illo, quo ſcribebantur, audiebant; ſed etiam nobis. Non enim ob aliud in Eccleſia recitantur.* Atque hinc etiam in ἐπιγραφῇ epiſtola græca dicitur

citur *Catholica*, de qua phraſi bene Oecumenius. *Vocari Catholicas, quia non ſunt inſcriptæ certis perſonis &c. ſed in genere omnibus Chriſtianis.* Aliàs eodem modo argumentari liceret: Paulus ſcripſit ad Timotheum, Titum, Romanos &c. E. nil ad nos. Quis hoc ferret? Epiſtola ad Corinthios ſcripta quidem eſt ad particularem Eccleſiam, ſed & *omnibus* τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου *invocantibus nomen domini*. 1.Cor.1. v.2. imo tota fere Scriptura ſuam amitteret autoritatem. Nam & Decalogus Judæis in monte Sina promulgatus. quidquid Moſes fere & Chriſtus fecerunt & dixere, inter Iſraelitas & Judæos conſtitit. Ita Petrus advenis ſcripſit, ut etiam reliquis ſit, διδασκαλίαν, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις. 2.Tim.3.v.16. 2. Verum invertimus argumentum primum *Theologicè.* Scripta eſt epiſtola ad παρεπιδήμους. At omnes pii ſunt πάροικοι καὶ παρεπίδημοι. Hebr.11. v.13. 1.Petr. 2. v.11. ita Beda ſuper h. l. deinde *Politicè*. Si *advenæ diſperſi* tenentur eſſe ſubditi poteſta-

teſtati ſublimiori, qui tamen raro homagii vinculo erant adſtricti, multo magis ſubditi. Quos Petrus h. l. vocat παρεπιδήμους, illos Philoſoph. 3. pol. c. 1. vocat μετοίκους, qui tantum habitationem & domicilium in aliquo loco habent; & diſtinguuntur à vero cive. ὁ δὲ πολίτης, οὐ τῷ οἰκεῖν ποῦ πολίτης ἐστί. *Civis enim non eo, quod urbem aliquam incolat, civis eſt.* Sicuti etiam in ſpiritualibus Eph. 2. v. 19. πάροικοι diſtinguitur à *Cive* ſive *Domeſtico.* Fuit autem horum μετοίκων πλείστη Ἀθήνησιν ἀκολασία *advenarum maxima Athenis* petulantia, teſte Xenophont. in Rèpubl. Athenienſ. Subditi contra arctius obligantur, utpote in quos Princeps plenam habet juriſdictionem, cum in alios tantum habeat conditionalem, & ex accidenti. Ex quo etiam fundamento diſputant Politici, peregrinum non committere crimen Majeſtatis, quoniam nec fidem Reipubl. dedit tuendæ, nec, ut id faciat, natura vel ex pacto obligatum eſſe. 3. Notamus etiam, cum Epiſtola Petri ſcripta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

ſit in Babylone, ſicuti in fine videre eſt, & quidem ad Advenas Ponti & Aſiæ &c. tum temporis indigitari partim Parthorum Regem; partim Neronem. At quales hi?

ὑποτάγητε notat legibus reſtrictam ſubjectionem.

Pag. 49. ὑποτάγητε, *ſubordinati ſeu legitimè ſubjecti eſtote.* ἡ γὰρ τάξις νόμος, *inquit Ariſtoteles.* Nulla iterum conſequentia. Lex eſt τάξις E. ubi τάξις, ibi lex aliqua: multò minus, ubi lex, ibi pactum: & ſic ulterius ubi ὑποτάγητε, ibi pactionata vel legibus quibuſdam reſtricta & limitata ſubjectio. Poteſt enim & lex eſſe & τάξις ab eo, qui belli jure occupat Rempubl. eamque deinde ad beneplacitum ſuum format, & ordinat. 2. Ita intelligendum eſt ὑποτάγητε, prout tum temporis modus regiminis exercebatur. At apud Parthos erat imperium abſolutum, Deſpoticum, nullis legibus limitatum: apud Romanos illis in locis non multo mitius. Si enim Corbuloni etiam *in Tetrarchas, Reges, Præfectos in tantum ferme modum eſt aucta poteſtas, quam Pop. Rom. Cn. Pompeio bellum Piraticum*

geſturo

geſturo dederat. Tac. XV. A. 25. 5. 6. quid non conceſſum erat in ipſos Barbaros? Petrus E. Chriſtianos, etiam ei regimini ſubjicit, quod abſolutum, *non legitimum*, & tum temporis in uſu; contra quod ſi inſurrexiſſent, mandatum hoc violaſſent. Vox ὑποτάγητε paulo poſt v. 18. & de ſervis uſurpatur. Ne quis autem legitimam tantum ὑποταγὴν intelligat, addit σκολιοῖς *pravis*, τάξιν illam legalem, qualem ſubintelligit Miltonus, non obſervantibus quibus etiam licebat; impunè ſervos occidere. Ita Omnia Chriſto ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας 1. Cor. 15. v. 27. Heb. 2. v. 8. Dæmonia ὑποτάσσεται parent nobis Luc. 10. v. 17. Mulieres veſtris ipſarum viris ὑποτάσσεσθε parete. Eph. 5. v. 22. ſine pacto aliquo conditionato & reciproco aut limitato.

Ibid. *Quoniam voluntas Dei. Videlicet, ut talibus obſequamur, quales hic deſcribuntur &c. Quod ſi verſa vice ad impunitatem & laudem & præmia facinoroſorum regnent? an in perpetuum ſubjecti*

erimus? Reſp.1. verba illa, *quoniam ſic eſt voluntas*, commodius ad ſequentia referri; ſcil. ut os calumniatoribus obſtruant: quamvis nil abſurdi importet, ſi etiam ad priora extendamus. 2. Illa verba non ſunt *limitantia* poteſtatem, ſed *explicantia* tantum finem: à quo licet perſona in officio illo conſtituta aberret, debito tamen & ordinationi divinæ nil decedit. Domino etiam difficili, ſive ad utilitatem ſive ad ruinam domus actiones ipſius adornentur; ſive bene ſive durius ſervos tractet, obtemperandum eſt. Ratio enim parendi & imperandi non dependet *à bona vel mala adminiſtratione*, ſed *à Dominio*. Uxor marito etiam moroſo; liberi parentibus etiam durioribus, obedire tenentur, etiamſi officium ſuum maritus & pater intermittat. Beda in h. l. *Non quod omnes quidem Reges aut Duces vel malefactores punire bonos vel laudare noverit; ſed quæ debeat eſſe actio boni judicis ſimpliciter intelligit.* 3. Quomodo etiam ipſe injuriæ Magiſtratus piis in laudem &

præ-

præmium cedant, ibidem Beda deſcribit. cui adjungimus Auguſt. Ep.48. *Si poteſtas inimica veritati in aliquem ſæviat, laudem habet ex illâ, qui fuerit coronatus.* Quémadmodum etiam obſequium erga malos Principes gratiam provocet, maximus Regum Alexander apud Curtium l.8.8. oſtendit. *Regum,* ait, *clementiam, non in ipſorum modo, ſed etiam illorum, qui parent, ingeniis ſitam eſſe. Obſequio mitigari imperia.* In Aula ipſa Domitiani florebat Tacitus, inq; gratia vivebat ipſius Socer Agricola, *quia non contumacia, nec inani jactatione libertatis famam fatūque provocabant.* Tacit. Agric.42. 6. & ſubjungit aureum monitum. *Sciant, quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe; obſequiumque & modeſtiam, ſi induſtria & vigor adſint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta & in nullum Reip. uſum ambitioſa morte inclaruerunt.*

Cur Magiſtratus Humana O dinatio dicatur?

Pergit Miltonus p.50. *Annon humana ordinatio dicitur. Cur ergo*

ergo poteſtas humana ad conſtituendum, quod hominibus bonum & ſalubre eſt, valebit: ad tollendum, quod iisdem malum & exitioſum eſt, non valebit? Humana dicitur ordinatio, nõn ratione originis & *efficientis*; ac ſi illa poteſtas ab hominibus ſive populo collata fuiſſet. Quis enim Populus Claudio vel Neroni tum temporis Imperium contulit? ſed ratione *inſtrumentalis*, quia per homines ſæpius Magiſtratus conſtituitur; penes quos tamen non eſt poteſtatis collatio; ſed hæc dependet à *Domino*: ſicut addit διὰ τὸν κύριον *propter Dominum*, à quo Magiſtratus poteſtas. vel *ratione materiæ*, quia Deus, uti etiam in Miniſterio Eccleſiaſtico, non angelis utitur, ſed hominibus. vel *ratione finis*, quia ad hominum ſalutem. Hic finis, ſi non obtinetur propter imperantium ſcelera, non à populo poteſt per vim reſtitui, cum Dominus ſolus poteſtatem habeat & contulerit.

Claudium Imp. fuiſſe non malum.

Ibid. *Dubium eſt, Nero an Claudius tunc temporis rerum potiretur*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tiretur. Addamus his, quæ ſunt p. 54. Epiſtolam ad Romanos, *ſub Claudio ſcriptam eſſe Principe ſimplici & non malo.* Reſpond. Quamvis Claudium animo & corpore habetiorem; multa etiam uxorum libertorumque arbitrio adminiſtrata fuiſſe, facile concedamus: interim tamen ſtoliditati adhæſit varia & mira quædam Tyrannis, dum nimium credulus, & ad ſuſpicandum facilis, iræ metusque inconſulta temeritate ad ſæviendum uſus eſt. *Sævum & ſanguinarium fuiſſe, magnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quæſtionum exigebat coram, pœnasque parricidarum repræſentabat, exigebatque coram. Cum & ſpectare antiqui moris ſupplicium Tiburi concupiſſet, & deligatis ad palum noxiis carnifex deeſſet, accitum ab urbe veſperam usque operiri perſeveravit. Quocunque gladiatorio munere, vel ſuo, vel alieno, etiam forte prolapſos jugulari jubebat: maximè retiarios, ut exſpirantium facies videret. Cum par quoddam mutuis ictibus concidiſſet, cultellos*

ſibi parvulos ex utroque ferro in uſum fieri ſine mora juſſit. Beſtiariis meridianisque adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet: & meridie, dimiſſo ad prandium populo, perſederet: præterque deſtinatos, etiam levi ſubitaque de cauſa quosdam committeret, de fabrorum quoque ac miniſtrorum, atque id genus numero, ſi ἀυτὶματον, vel pegma, vel quid tale aliud parum ceſſiſſet. Induxit & unum ex nomenclatoribus ſuis, ſive erat togatus. En Principem ſimplicem & non malum! Sueton Claud. c.34. Idem cap.29. *Appium Silanum Conſocerum ſuum, Iuliasque, alteram Druſi, alteram Germanici filiam, crimine incerto nec defenſione ulla data, occidit. Item Cn. Pompejum, majoris filiæ virum, & L. Silanum, minoris ſponſum &c. Silanus mori initio anni coactus eſt, die ipſo Claudii & Agrippinæ nuptiarum. In quinque & triginta Senatores, trecentosque amplius equites Rom. tanta facilitate animadvertit, ut de nece conſularis*

viri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

viri renunciante centurione, factum eſſe quod imperaſſet, negaret quidquam ſe imperaſſe, nihilo minus rem comprobabat. Nulla adeo ſuſpicio, nullus autor tam levis extitit, à quo non mediocri ſcrupulo injecto ad cavendum ulciſcendumque impelleretur, Addit ibid. exempla c.38. *Iræ atque iracundiæ conſcius ſibi, utrumque excuſavit edicto.* Idem c.39. *Et inter cætera in eo maxime mirati ſunt homines* μετεωρίαν καὶ ἀφλεψίαν, *oblivionem ſeu ſtoliditatem, & inconſiderantiam. Nam occiſa Meſſallina, paulo poſt, quam in triclinio decubuit,* cur domina non veniret, requiſivit. *Multos etiam ex iis, quos capite damnaverat, poſtero ſtatim die & in convivium & ad aleæ luſum admoveri juſſit, & quaſi morarentur, ut ſomniculoſos increpuit.* Dio. lib.60. tales floſculos relinquit. *Delectabatur eo præſertim, ſi inter prandium medio munere, caſos homines intueretur:* Ita ſcil. ἐθισθεὶς αἵματος καὶ φόνων ἀναπίμπλασθαι, προπετέστερον, καὶ ταῖς ἄλλαις σφαγαῖς ἐχρήσατο.

σατο. Suetus ſanguine & cædibus impleri, pronior etiam ad reliquas neces inde factus fuit. Delectationem & cupiditatem hanc oſtendit Sueton. c.21. cum in Naumachia, quaſi venia data, nemo dimicare vellet, *diu cunctatus, amnes igni ferroque abſumeret, tandem à ſede ſua proſiluit: ac per ambitum lacus, non ſine fœda vacillatione diſcurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit.* Sed redeamus ad Dionem *Iudicia*, inquit p.776. *peragebantur in curia, Claudio ejusque præfectis & libertis præſentibus: referebat ipſe ad Senatum &c, Eo modo & illuſtriſſimi Viri judicabantur.* & poſt. *Continentibus malis eò res devolutæ erant, ut virtus nulla alia, quam fortiter mori haberetur. Claudius ſane ita hujus & aliorum facinorum ultioni intentus fuit, ut pro teſſera quoque hunc Græcum ſuis militibus dederit* ex Homer. Odyſs. 21.

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι; ὅτε τὶς πρό-
τερος χαλεπήνῃ.

*Nunc vos ulciſci, quicunq; prior
nos lædat, oportet.* Nec

Nec eſt, quod culpam omnem in Meſſalinam & Libertos rejiciamus: hæc ſævum animum, quem tantis cædibus pavit, ſatis indicant. Licet etiam ponamus, multa Claudium ignoraſſe, non tamen excuſatur. *Dii tibi malefaciant: adeo iſtud turpius eſt, quod neſcis, quam quod occidiſti.* inquit Auguſtus apud Sen. de Mort. Claudii. Idem Seneca in loc. cit. notat. *manus tantum geſtatione, homines decollare ſolitum fuiſſe.* & poſt. *tam facile homines occidiſſe, quam canes excidiſſe.* Quicquid ſit; ex Miltoni ſententia, *non decet Regem eſſe niſi qui cæteris antecellat. Stulto ſervire indignum.* At Claudius ſtultus erat, *cui nec judicium nec odium erat, niſi indita & juſſa.* Tacit. A. 12. 3. *libertorum ſuorum libertus.* Senec. l. c. Stultitiæ exempla vid. apud Sueton. Claud. 15. quibus ſe etiam Cauſidicorum impudentiæ obnoxium reddidit.

Pag. 51. Ad locum Pauli regerit. *Quæ tamen iſtæ ſint, ſcil.* poteſtates, *non ſtatuit. Certe optimus quisque Imperator authoritatem legum*

Pauli. locus Rom. 13. vindicatur.

legum & Senatus autoritate ſuâ longè ſuperiorem ſemper agnovit &c. eadem Ariſtotelis ſententia in Politicis &c. Reſp 1. Quid per poteſtatem intelligendum, patet ex loco parallelo Petrino. *ſive Regi, ſive Præſidibus.* Quod enim h. l. dicitur ἐξȣσία ὑπερεχȣσαι *poteſtas ſupereminens*, ibi dicitur βασιλεὺς, ὡς ὑπερέχων *Rex, ut ſupereminens.* Uſus autem eſt Paulus phraſi abſtracta pro concreta, i. e. pro perſona, quæ poteſtatem gerit: quia loquitur de tali poteſtate, quæ *gladium geſtat*, verſ.4. *cui tributa ſolvuntur* v.6, ad quam provocavit Paulus Actor.25. v. 11. Καίσαρα ἐπικαλȣ͂μαι, *Cæſarem appello* qui ſi in hodierni temporis Rabulas

Nugi polyloquides, Argenti extenebronides,
Techni polyloquides, nummorum expalponides

incidiſſet, ſine dubio Atheologus audiviſſet. Atque in hoc ſenſu concreto non tantum ſumitur græca vox *in ſacris*. ut Luc.12. v.11. cum vos adduxerint ad ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξȣσίας

σίαις ad Magiſtratus & poteſtates; non ad legem aliquam inviſibilem, nullibi niſi in charta exiſtentem: & *in profanis ſcriptoribus*, ut apud Sueton. in Claud. 23. *juriſdictionem per Provincias Poteſtatibus demandavit*. Neron. c. 36. Stella crinita, *quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur*, per continuas noctes oriri cœperat. Vopiſcus in Saturnino. *Ut Ægyptii magnam poteſtatem ad ſe veniſſe viderunt*. apud Ammian. Marcell. *celſæ poteſtates &c.* Add. Tit. 2. v. 1. *Admone illos*, ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι *imperiis*, vel ut Eraſmus vertit, *Principibus & Poteſtati ſubditos eſſe*. Ut oſtenderet ſubjectionem hanc dignitatibus exhibendam; etiamſi indigni ſint, qui ad iſtud faſtigium evehantur. 2. *Optimum quemque Imperatorem autoritatem legum ſemper agnoviſſe ſuperiorem.* itidem ambiguum. Nam primum diſtinguendum eſt inter *Regnum fundatum & fundandum*. Hoc plerunque gubernatur *arbitrio & reſponſis Principum*, ita Cyrus, A-

lexan-

lexander ab initio regiminis & Romulus Regna ſua exorſi ſunt ſine legibus, & tamen *Optimi* fuerunt; neque vel legum vel Senatus autoritatem ſuperiorem agnoverunt. Sic Cretenſes paruerunt Regibus, antequam Minos; Spartani, antequam Lycurgus legibus Rempubl. ordinaſſent; Romani, antequam ex Solonis aliarumque Civitatum Græciæ legibus deſcriptis, ſuas XII Tabb. leges condidiſſent: *qui nunc quoque in hoc immenſo aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privatique eſt juris.* Liv. l. 3. Eodem modo Germania, quæ nunc etiam copia legum laborat, olim bonis moribus potius quam legibus florebat: illudque Columellæ l. 1. poſt princ. experitur, *ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere, futuraque ſunt urbes.* Si autem per poteſtatem, legum poteſtas intelligatur, ſequeretur, in ejusmodi Rebuſp. nullum fuiſſe vinculum, nullum mandatum, quod ſubditos ad obedientiam adſtrinxiſſet; quia nullæ adhuc leges. Fruſtra etiam erit altera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tera Exceptio. *Non ſolum Populo ſubjectionem hanc, ſed Regibus etiam præcipi, qui ſupra leges nequaquam ſunt.* Quomodo enim Rex ſubiicietur legibus, ubi nullæ leges? 2. in Regno fundato, quamvis facilè concedamus; Principem legibus adſtringi ratione *directionis*, ut ſciat, quomodo ipſi in adminiſtratione ambulandum, ne aberret: interim tamen ratione *coactionis* Princeps non ſubeſt; ſed autoritas legum ab ipſo dependet, qui etiam pro ſtatu temporum eas abrogat vel mutat. Auguſtus qui tamen Optimus audit apud Hiſtoricos apud Tac. A. 1. 2. 2. *munia legum & Magiſtratuum in ſe traxit:* quod arcanum Dominationis poſt eum Tiberius, Cajus, Claudius & Nero Apoſtolorum ætate retinuerunt. Proinde tempore Pauli nulla talis erat Reſp. quæ Principem legibus ſubiiceret. Si itaque Paulus per poteſtatem intellexiſſet Leges ſupra Principem, potius Romanos ad ſeditionem contra Cæſares excitaſſet, quam obedientiam. Imò ad *vim Principatus* pertinet:

An h. l. etiam Reges ſubjiciantur?

ne

ne cuncta ad ſenatum revocentur. Tac. A.1.6.7. ut ſolus ſit *arbiter rerum, jure & nomine Regio.* id. A.2.73.4. ut ceu *Dominus rerum temporumque cuncta trahat conſilio, non ſequatur. Liv.*l.9. c.18. Quo in ſenſu etiam illud intelligi poteſt apud Nepotem, *Miltiadem in Cherſoneſo fuiſſe dignitate regia, quamvis caruerit nomine.* in Miltiade 2. n.3. & apud Cæſarem, apud Æduos Magiſtratum *Regiam poteſtatem obtinere.* l. 7. de Bell. Gall. In Monarchiis itaque vix probabit Regem legibus ſubjectum eſſe. 3. Ponamus tamen cum Miltono, ſupremam legum & Magiſtratus poteſtatem. Quid fiet cum Republ. turbata, cum ſuſpectum eſt *Senatus Populique imperium ob certamina potentium & avaritiam Magiſtratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur.* Tac. A.l.1.2.4. Duo hic obſervanda veniunt. Primum ſi per Poteſtatem intelligenda erit Poteſtas tantum realis legum, tunc ſtatim in tali caſu emerget ἀναρχία quia Anima

tantum

tantum ſubdita eſſe debet legibus. Alterum quod fruſtra declamet in Regum vitia, cum etiam Magiſtratus nævis variis ſit obnoxius. Uti E. obligatio ſubditorum non exſpirat, tali ἀταξία ingruente: ita nec Regia. 4. Loquitur Apoſtolus de Poteſtate aliqua præſidente, viſibili &c. quæ jurisdictionem habet, penes quam jus gladii &c. cui homines ſubiiciuntur. At illa imaginaria poteſtas legum nullibi actu ſeparato extra intellectum exiſtit; neque tali homines *propriè dicuntur ſubiici.* 5. Fruſtra citat Ariſtotelem & alios. Nam aliud eſt, ſi quæratur *de officio Principis* in adminiſtratione. An debeat in ſententia dicenda vel aliis gubernationis partibus *ex nudo arbitrio*, an vero *ex legibus ſcriptis*, quæ nulli pecuniæ affectibusque obnoxiæ, omnia definire? Hoc ſenſu Ariſtoteles Principem ad leges relegat, ſi latæ ſint. Aliud vero eſt, ſi quæratur *de Officio ſubditorum.* Hi tenentur obtemperare Principum mandatis; ſive oretenus mandet, ſive ſecundum leges, alias primis funda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

fundatoribus Rerump. nulla præſtanda fuiſſet obedientia. 6. Autoritas legum dependet ab autoritate & poteſtate Legislatorum & Principum, quibus originem ſuam debent. Non E. Principem ſibi ſubiicere poſſunt, à quo omnem vigorem, & vim obligandi habent.

Pergit Miltonus. *Nulla poteſtas niſi à Deo, i. e. nulla Reipubl. forma, nulla homines regendi legitima ratio.* Falſum. Nam loquitur Apoſtolus de Superioritate & poteſtate, qua quis aliis regendis præfectus eſt: non de forma. illa poteſtas eſt eadem in omnibus formis, & immediatè à Deo. Vox enim NISI eſt *conditio negativa*, quæ omnem aliam cauſam in pari genere excludit: ut ſi quis dicat, Nemo creavit orbem, *niſi Deus.* Aliud eſt forma Reipubl. quæ mediatè Deo, immediatè hominum inſtituto originem ſuam adſcribit, & *Poteſtas* immediatè à Deo collata iſti formæ, vel hominibus hac vel illa regiminis forma utentibus. Eodem modo per poteſtatem nec *legitima regendi* ratio intelligenda eſt.

eſt. Nam aliud eſt *poteſtas* aliud *diſpenſatio* illius *poteſtatis* : hæc non eſt immediatè à Deo, ſed ab hominibus benè vel malè illa poteſtate utentibus. Sic leges ipſæ quamvis omnes profluere debeant ex recta ratione divinitus hominibus indita, quæ anima omnium legum: interim tamen leges naturales omnibus hominibus etiam peſsimis inſunt; poſitivæ per hominum, populorumque conſtitutiones. Neque officit nobis illud quod ex Oſea c.8. adducit Miltonus. *Conſtituunt Reges, at non ex me: Præficiunt Principes, quos non agnoſco.* ſed rei illuſtrandæ multum conducit. Uti enim in Miniſterio Eccleſiaſtico, cum miniſtri Eccleſiæ ſine legitima vocatione ſeſe officiis ingerunt, à Deo nec miſsi nec vocati ſunt, ſecundùm illud Jerem.23. v.21. *Currebant & non mittebam illos* : tamen Miniſterium manet bona Dei ordinatio; & Deus quoque per tale Miniſterium ſuam diſpenſat gratiam. Ita etiam ſi quis malis artibus Remp. occupet, vel Imperium invadat atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

que adminiſtret; nihilominus Magiſtratus officium manet Dei ordinatio; manet poteſtas à Deo, qua tyranni abutuntur: haut ſecus ac impii eruditione aliquando, ſanitate & robore corporis, pulchritudine, divitiis, honoribus aliisque bonis Dei donis abutuntur.

An omnes vitioſæ formæ à Diabolo.

Pergit Miltonus p.53. *Aliquando aut ipſa regiminis forma; ſi vitioſa ſit, aut illi, qui poteſtatem hanc obtinent, & ab hominibus & à Diabolo ſunt.* Reſp.1. Concedendo. Non tamen ſequitur E. ipſa poteſtas eſt à Diabolo, uti jam declaratum. 2. Negando, omnem regiminis formam vitioſam eſſe à Diabolo. *Nam deſpoticum imperium parum diſtat à Tyranico* 3. pol.10. neque tamen à Diabolo. ſicut nec herile imperium domeſticum in ſervos eſt à Diabolo. Joſephus. ipſe Gen.47. v.19.23. Ægyptios emerat in ſervos cum omnibus fundis. Ergone ex inſtinctu Diaboli hoc fecit? Nolumus nos contradicendi ſtudio contradictoriam propugnare. *Non omnes Tyrannides eſſe Diabolo.* Si quis tamen

men pertinacius vellet θέσιν δια-
φηλάττειν, regerere poſſet. 1. dari
ἀρχὴν ἰσοτύραννον *poteſtatem ty-
rannicæ parem* ex electione, ut Di-
ctaturam apud Romanos: quam
Dion. Hal. l. 5. vocat *Electitiam
Tyrannidem*, ibidemque de utili-
tate hujus inſtituti pluribus agit.
Ergone à Diabolo? 2. Dari Ty-
rannos, qui *Regiè* imperant. Mil-
thiades *Cherſoneſi, omnes illos
quos habitaret annos, perpetuam
obtinuerat dominationem* TY- *Nepos.*
RANNUSQUE *fuerat appellatus,* *l. 8. 3.*
ſed juſtus. Herodotus rem ſic nar- *Erato.*
rat. *Vndique ex omnibus civitati-
bus Principes congregati ſunt ad
lugendam cum Miltiade Fratris
necem. Hi poſtquam venerunt il-
luc, in vincula conjecti ſunt, &
Miltiades Cherſoneſum obtinuit,
500. alens auxiliarios.* Non E.
initia Miltiadis usquequaque ſin-
cera vel inculpata fuêre: quamvis
poſtea, quia in ipſo erat *cum ſum-
ma humanitas, tum mira comitas,
ut nemo tam humilis eſſet, cui non* *Nepos*
ad eum aditus pateret; imperium *in ſin.*
ſuorum voluntate & ſua *bonitate* *od. l. c.*
K reti-

Iuſtin. retinuerit. Subjungimus Hiero-
24. 4. nem, qui *in alloquio blandus, in*
15. *negotio juſtus, in imperio moderatus: prorſus ut nihil ei regium deeſſe, præter regnum, videretur.* qua moderatione factum deinde
ibid. eſt, *ut conſentiente omnium Civitatum favore, Dux adverſus Carthaginenſes primùm, mox Rex*
5. pol. *crearetur.* Philoſophus noſter me-
12. minit Orthagoræ Sycioniorum Tyranni, & ſuorum liberorum, quorum Tyrannis per 100. annos permanſit. *Cujus rei cauſa eſt, quod moderatè ſe in Cives gererent, & pleraque legibus convenienter adminiſtrarent. Et Cliſthenes, quod bellicoſus eſſet, non erat contemptui. Multa quoque faciebant, quibus benevolentiam populi allicerent.* & poſt. *Cypſelus quidem Demagogus erat, totoque imperio ſine cuſtode permanſit.* Excitat enim Deus magna ingenia, quæ Rempubl. variis vitiis laborantem reſtaurent, & quamvis παρανόμως *potiantur imperiis, mediocriter tamen &* δημωφελεῖς *cũ utilitate publica iis fungantur.*

Obſer-

Obſervat hoc Plutarchus. *Orthagoras Tyrannus & poſt eum Myro & Cliſthenes Sicyoniorum laſciviæ finem impoſuerunt: Cleonæi, quibus eadem medela non obtigit, peſſum eunt.* Ex quo loco oſtendi ferè poſſet, *accedente utilitate Reip. & conſenſu ſubditorum*, non ſtatim Tyrannidem, Regia clementia temperatam, Diabolo adſcribendam: quamvis ſine his facile Auguſtino c. neque enim 14. q. 5. accedamus. *Nec tyrannicæ factionis perverſitas laudabilis erit, ſi regia clementia Tyrannus ſubditos tractet, &c.* Quamvis etiam in hac accidere poſsit, ut obligatio parendi maneat. Maximè verò elucet in Heroibus, quos Deus rebus mutandis, vel collapſæ Reipubl. reſtaurandæ deſtinat. Extrinſecus ſi facta Heroum aſpiciantur, parum videntur diſtare à tyrannide, nec poſſunt ad communem regulam revocari. Concurrit divina providentia, concitant illos divini motus, & cœleſtia inſtigamenta; quæ ab initio prudentius ignoramus, quam curioſius rimamur, in exitu

De ſerâ. Num. vind.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

tamen clarè agnoſcimus. Cyri initia tyrannidem, impietatem, & rebellionem ſpirabant, ſi vera ſunt illa, quæ Juſtinus, Herodotus & alii quidem tradunt. Si verò evolvamus Eſaiam c.45. v.1. & ſeqq Obſervabimus impetum divinum. 3. Sed concedamus hoc valere in Tyranno, qui *titulo* talis eſt: interim reſpond. ἐξουσίαν ſive poteſtatem Tyrannorum non eſſe propriè dictam poteſtatem, ſed potius *vim & latrocinium*, ſicut etiam malæ leges non ſunt propriè leges. In Tyranno, qui talis *exercitio*, non facilè admittitur. Hic enim poteſtatem obtinet à Deo: non à Diabolo, ſed à Deo mediante legitima vel *electione* vel *ſucceſſione*, regimen ſuſcipit. Sit igitur ipſa forma vel adminiſtrandi ratio â Diabolo: ipſa tamen perſona non eſt à Diabolo. Neronis vel Claudii regimen tyrannicum erat, ſed poteſtas à Deo, ideoque obedientiam non diſſolvit Petrus. 4. Preſsius ſi rem expendamus, animadvertemus, eſſe adhuc intervallum inter *Tyrannidem, & reliquas formas vitioſas.*

Iuſtin. l. 5. *& 6. Herod. l.* 1.

Phi-

Philoſophus dicit τὴν Τυραννίδα χειρίστην οὖσαν πλεῖστον ἀπέχειν πολιτείας, *tyrannidem, quæ deterrima eſt, à Reip. adminiſtrandæ forma longiſſimè diſtare.* non tantum, quia θειοτάτη *diviniſſimæ formæ* opponitur, ſed quia etiam per ſe ſcelera, ut homicidia, furta, rapinas, expilationes ſubditorum includit: quæ in reliquis formis non æquè reperiuntur. Oſtendimus primum in Oligarchia, in qua vel ad *cenſum* vel ad *Nobilitatem* vel *potentiam* reſpicitur, ſine violatione aliqua legis divinæ. E. ne ſtatim à Diabolo, quia vitioſa? Non. Neque enim is, qui ad cenſum, nobilitatem &c. res per ſe non malas, reſpicit, Dei mandata violat, & iram ſupremi Numinis poſt ſe trahit. Sunt hæc in numero bonorum externorum, quæ contemnenda non ſunt: ſed potius attendenda, ut & Reipublicæ, fulti ſufficientibus opibus, melius vacare, & Natalium dignitate ſplendentes Ampliſsimi ordinis autoritatem melius tueri poſsint. Ipſe Philoſophus hanc utiliter reliquis

4. pol. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

formis miſceri poſſe variis locis docet. Lib.4.c. 7. pol. Speciem ſecundam Ariſtocraticam facit, in qua *præter virtutem aliqua divitiarum & nobilitatis habetur ratio in eligendis Magiſtratibus*. c.8. definit *Politiam, mixtionem Oligarchias & Democratias* l.4. c.2. cenſet *μετριωτάτην τὴν δημοκρατίαν, moderatiſſimam eſſe Democratiam*, quia ſc. æqualitas & libertas civium in hac attenditur. Quod autem ſcelus eſt hæc reſpicere? Nolumus nos E. harum formarum originem, quamvis *vitioſarum*, ſtatim cum Miltono adſcribere *Diabolo:* ſed potius oſtendimus, conſequentiam Miltonianam non eſſe firmam: *Regiminis quadam forma eſt vitioſa. E. à Diabolo.* Damus enim inſtantiam. Democratia, ut olim Athenienſis: jam Anglicana, eſt vitioſa. E. à Diabolo. Notum eſt, *Vitioſam* h. l. dici, non, quod defectu aliquo morali, qualis diabolum autorem habet, laboret: ſed quod ſit παρέκβασις aberratio à bono Politico, à quo deviare nos aliquando genius Populorum, natura

tura commerciorum &c. utilitas quoque Reipubl. cogunt.

Pergit Miltonus & adducit Luc. 4. v. 16. *Tibi dabo poteſtatem hanc omnem, nam mihi tradita eſt, cui volo, do illam.* Verùm miramur, Miltonum non attendere, hæc proferri à Diabolo, *Patre mendacii, in quo non eſt veritas.* Joh. 8. v. 44. Mentitur n. ibi Dæmon, quia falſum eſt, & Deum tradidiſſe illi omnia regna, & ipſum tradere poſſe, cui voluerit. Solius *Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Pſalm 24. v. 1. Ipſe ſolus *dominatur in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud.* Dan. 4. 14. 2. Præterea Poteſtas Diaboli non eſt *Poteſtas Politica* ordinata ad regendos homines, de qua h. l. Apoſtolus loquitur.

Hinc, ait, *Princeps Mundi dicitur.* At malè. Non enim Princeps Mundi dicitur: ac ſi Mundi eſſet Dominus, regna dare & eripere, leges Politicas in conſcientia obligantes condere poſſet, qui ne quidem privatis bonis nocere ſine Dei permiſsione poteſt, ut ex Hi-

ſtoria Jobi c. 1. v. 11. 12. patet: ſed quia peccatorum, quę propria mundi ſunt, eſt Dominus: & quia homines hujus ſeculi per peccata ipſi ſerviunt. Cyrillus l. 10. in Joh. c. 40. *Diabolus vocatur Princeps mundi,* inquit Auguſt. lib. de Agon. Chriſt. c. 3. *non, quia eſt Dominus hujus mundi, ſed Princeps cupiditatum earum, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit, ut ei ſubjaceant, qui negligunt æternum Deum, & diligunt inſtabilia & mutabilia.* Nazianz. orat. 3. de rect. Doctr. ſentent. *Non hoc nomen ipſi tribuitur, quod totum in mundum & univerſos homines imperium obtineat. nam ſi hoc foret, jam olim omnes perdidiſſet: ſed quod peccati ſit autor, & eorum Princeps, quæ ſub peccato, quaſi Rege, degunt.* Concedamus tamen Miltono, diabolum *habere poteſtatem.* Reſpondemus cum Auguſtino, etiam illam poteſtatem, qua Dęmones & mali homines affligunt & vexant bonos, eſſe à Deo. *Neque enim habet in eos quiſquam ullam poteſtatem, niſi cui data fuerit deſuper. Non eſt enim poteſtas, niſi à*

Deo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Deo ſive jubente, ſive ſinente. in Pſ. 2. conc. 2. *Cupiditatem nocendi poteſt homo habere propriam: poteſtatem autem, ſi ille non dat, non habet. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Definita ſententia eſt Apoſtoli. Non dixit, non eſt cupiditas niſi à Deo. Eſt enim mala cupiditas, quæ non eſt à Deo: ſed quia ipſa mala cupiditas nulli nocet, ſi ille non permittat, non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo. Nam per poteſtatem Diabolo datam, & Iob probatus eſt, ut juſtus appareret, & Petrus tentatus eſt, ne de ſe præſumeret, & Paulus colaphizatus, ne ſe extolleret, & Iudas damnatus, ut ſe ſuſpenderet. Cum E per poteſtatem, quam Diabolo dedit, omnia juſtè ipſe Deus fecerit, non tamen pro his juſtis factis, ſed pro iniqua nocendi voluntate, quæ ipſius Diaboli fuit, ei reddetur in fine ſupplicium.* Idem dicendum ad Apocal. c. 13. Sed illa Poteſtas non eſt poteſtas Politica, neque Deus homines huic ſubjecit; ſed potius, ut contra cœlitus armati adverſus hanc pugnemus. Eph. 6. v. 12. 13.

l. 22. contr. Fauſt. c. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Concludit. *Propterea neceſſe eſt hic intelligi non poteſtates quaſcunque, ſed legitimas.* nimis laxè concludit. Dicere enim debuiſſet, intelligi non poteſtates quaſcunque, ſed *humanas & Politicas.* Non enim hæ ratione *qualitatis*, ſed *ſubjectorum* opponuntur. Omnis poteſtas, etiam Diaboli, eſt à Deo: ſed h. l. Paulus non loquitur *de Angelicis poteſtatibus, nec de inviſibilibus Principibus; ſed de his, quæ ſunt ſecundùm homines poteſtates*, Irenæus l. 5. c. 20. adeo ut ipſa etiam inſtantia Miltoniana falſa ſit. Per illa verba; *Non eſt Poteſtas, niſi à Deo*; intelligi tantum poteſtatem legitimam, & non illegitimam, quia vitioſæ ſunt à Diabolo. Nam jam ex Auguſtino probatum, etiam Diaboli poteſtatem eſſe à Deo. 2. Si per vocem *Legitimæ poteſtatis* intelligit legibus adſtrictam poteſtatem, vel ut barbari loquuntur, *pactionatam*: falſum eſt, quia partim leges ſequũtur hanc poteſtatem, & ex hac firmitatem ſuam habent; partim etiam dantur Imperia abſoluta, quæ

non

non ex legibus, ſed arbitrio Principum reguntur, Si vero per *Legitimas*, bonas tantum intelligit Poteſtates, tunc itidem falſum eſt. *Nam Poteſtas in abſtracto conſiderata*, uti Miltonus ſumit, *omnis bona eſt*: utpote *à Deo ordinata*, quamvis deinde accidat, ut improbi homines *illegitimis mediis* graſſentur, ad illam Poteſtatem Magiſtratus: vel *adepti hanc poteſtatem, durius illam exerceant.* Ita bonum eſt, à Deo & natura introductum, *eſſe ſervum & Dominum*: neque obedientiam reſolvit, ſi Dominus δύσκολος non ſemper ad legum formulas ſervum tractet, ſed durius habeat. Manet *Herile imperium divina ordinatio, manet legitima poteſtas*, licet Herus malus ſit, neque exinde ſervus exſolvitur ab obedientiæ vinculo, quam debet *ob Dei conſcientiam*, non ob legitimum uſum poteſtatis. Eodem modo ſi quis malis artibus Magiſtratum ambiat, & obtineat, non tamen deſinit eſſe Magiſtratus, nec exſpirat obedientiæ vinculum.

Fruſtra E. concludit, *intelligi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

poteſtates ipſas, non ſemper eos, qui imperium obtinent, ſecundũ Chryſoſtomum. Nam poſito, non conceſſo. Intelligatur poteſtas ipſa in abſtracto, cum Chryſoſtomo & aliis Græcis quibusdam commentatoribus: ſit ipſe Nero, Domitianus & Diocletianus non à Deo. Attamen illud tantum explicandum eſt, *de mala adeptione illius poteſtatis* vel de *malo ejus uſu.* Quando vero Deus hanc ſuam regendi poteſtatem cum aliquo Nerone vel Diocletiano conjunxit; tunc etiam Neronis imperium eſt à Deo, & obligat ſubditos ad obedientiam, quæ ipſi dignitati debetur, etiamſi indigni ſint, qui eò ſunt evecti. Quid crudelius Tiberio? Et tamen Chriſtus Matth. 22. tributa ei ſolvi præcepit. 2. Verum nulla neceſsitas nos cogit, ut cum Chryſoſtomo vocem *poteſtatis* in abſtracto ſumamus: prius enim demonſtravimus hanc in concreto exponendam, ſicut & in prioribus verbis, *Omnis anima poteſtatibus:* & poſterioribus, *Quæ à Deo ordinatæ*

ſunt,

ſunt, pluraliter poſitis, nil aliter quam concretum intelligi poteſt, ſc. ipſi *Principes* & ordines Magiſtratuum. Aliàs facilè ſe quis excuſare potuiſſet: ſe quidem *poteſtatem* venerari, ſed eâ fungentes malos eſſe & indignos, quibus obediat. quam rimam Apoſtolus obſtruit, cum voce hac etiam in concreto utitur. Neque Chryſoſtomus nobis adverſatur, qui eadem nobiſcum ſentit, de *legitima vel poteſtate illegitima* nil habet: & in antecedentibus & conſequentibus ubique Miltono repugnat. En quod ſtatim habet ab initio Chryſoſtomus. καθάπερ τοὺς οἰκέτας τοῖς δεσπόταις, οὕτως καὶ τοὺς ἀρχομένους τοῖς ἄρχουσιν ὑποτάσσων ex quo concludimus. *Vti ſervos Dominis ſubjecit: ita ſubditos imperantibus.* At ſervos etiam *duris dominis* ſubjecit, qui poteſtatem Herilem *illegitimè* exercent. E. Omiſit etiam Miltonus, tanquam ſcopo ſuo minimè convenientia, verba inſerta à Chryſoſtomo. *Quod enim Principatus ſunt, quod hi quidem imperant, iſti vero ſub-*

ſubjecti ſunt; quodque non fortuitò ac temerè cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumaguntur, divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Nil h. l. audimus de Principatu à Populi delegatione dependente, ſed quod ſit *divinæ ſapientiæ* opus; iis tantum datus, quos ad imperandum Deus deſtinavit, non parendum: item *Populum ſibi* relictum *circumagi:* quod non fieret, ſi penes Populum eſſet ſuprema poteſtas. In ſequentibus dat rationem; *Libertas*, ait, *illa diſſoluta ac moderamine carens ubique mala, ac confuſionis cauſa eſt.* Non E. ſecundùm Chryſoſtomum populo poteſtas collata, ſed Principi: Populus *moderamine* poteſtatis caret.

Pergit Miltonus. *Legitimas E. vult hic intelligi Apoſtolus; malum enim & vitium, cum ἀταξία ſit, non eſt, ut poſſit ordinari, & eſſe ſimul vitioſum. Hoc enim duo ſimul contraria ponit, taxin & ataxian.* Reſpond. 1. probandum prius Miltono, dari poteſtatem aliquam illegitimam. Nobis omnis pote-

poteſtas eſt bona vel legitima. Unde, quando Miltonus argumentatur: *Poteſtati, quæ ordinata eſt, eſt parendum. At ſola legitima ordinata eſt.* E. nos invertimus argumentum & ſubſumimus. *At omnis poteſtas eſt ordinata*; & non poteſtas, niſi à Deo. E. vel ſic. *Vbi eſt poteſtas Politica, ibi obtemperandum. At etiam in Claudio, Nerone &c. talis poteſtas.* E. etiam Claudio & Neroni obtemperandum. Eodem modo Tiberii poteſtas nec *ratione acquiſitionis*, nec ratione *adminiſtrationis* erat *legitima*, & tamen tributa illi ſolvi mandat Chriſtus, Matth. 22. dicitque illam poteſtatem ESSE *Cæſaris.* Uti autem Chriſtus ſeipſum & alios homines Tiberio ſubjecit: Ita etiam Paulus. At Chriſtus deterrimo Principi. E. Nebucadnezar *illegitimam* exercebat poteſtatem, & tamen Deus Judæis injungit, ut ei ſerviant. *Ierem.* 27. *verſ.* 12. 1. *Timoth.* 2. præcipitur, ut pro Regibus orent i.e. pro ſtabilienda illorum poteſtate, quæ ſine dubio Miltono fuit illegitima.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Nam quales hi illo tempore? Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, omnes monſtra generis humani. Illuſtramus hęc exemplis de *Poteſtate Maritali, Patria & Herili.* Maritalis poteſtas non exſpirat in Marito rigido; mulier tenetur obtemperare *ἐν παντὶ in omnibus.* Eph. 5 v. 24. ceu *Domino:* ſcil. quæ non ſunt contra ſupremi Domini præcepta, cui *magis obediendum.* Act. 5. 29. Eodem modo Patria poteſtas non deſinit, ob contumelias, quibus ſæpe duriores Parentes liberos afficiunt, quia etiam malus Pater jura Parentis retinet. Epictet. Enchir. c. 37. *Pater eſt? præcipitur curam ejus agendam, cedendum ei in omnibus: ſi convitietur, ſi verberat, ferendum eſſe.* ἀλλὰ πατὴρ κακὸς ἐστὶ: μή τι οὖν πρὸς ἀγαθὸν πατέρα φύσει ὠκειώθης; οὐκ, ἀλλὰ πρὸς πατέρα. *At Pater malus eſt? Nunquid igitur naturâ cum bono Patre conjunctus es? Non, ſed cum Patre.* Confer & Simplicii commentarium ſuper h. l. Nolumus in hanc rem plura coacervare dicta. Unicum

cum illud, quia Chryſoſtomus Miltono tantopere placet, è Chryſoſtomo dabimus, quod habet Hom. 2. in 2. Tim. c. 1. Ἂν πατέρα τὶς ἔχῃ, κἂν μυρία ἔχῃ δεινὰ, πάντα συσκιάζει. *Patrem qui habet, etſi mille patiatur incommoda, omnia Patris reverentia conteget.* De Herili poteſtate antea dictum eſt: quæ ſervos etiam *durioribus dominis* ſubiicit. Ponamus jam Miltoni fundamentum. *Sola legitima poteſtas eſt à Deo ordinata. E. ſoli legitimæ poteſtati parendum.* Annon eodem argumentandi modo reſolvere poſſemus etiam omnem *poteſtatem Maritalem, Patriam, Herilem?* Ita enim & Uxor concludet. Legitima tantum poteſtas eſt a Deo ordinata. | E. legitimæ tantum obtemperandum. Eodem modo Filiusfamiliàs argutabitur & Servus. Quid exſpectabimus deinde, niſi totalem ἀναρχίαν, & reſolutionem omnium vinculorum, quibus ſocietates tam domeſticæ quam Politicæ inter ſe cohærent, ſi vis imperandi delabatur ad arbitrariam prius diſcuſsionē ſubdito-

ditorum *An ſc. legitima ſint, quæ imperat?* Quæ natura autem eſt ſimplicium ſocietatum, ea etiam deinde compoſitarum in Civili ſocietate, quæ ὁμοιώματα & παραδείγματα ἐν ταῖς οἰκίαις, *ſimilitudines & exempla in familiis* ſumit 5. Eth. 12. Accommodamus h. l. ea, quæ Miltoni Chryſoſtomus l. c. Timoth. habet, de *Sacerdote honorando, qui malus eſt. Etſi enim,* inquit, *malus fuerit Sacerdos quiſpiam, attendit Deus, quod ſui gratia illum etiam, qui dignus honore non eſt, obſequiis fovet, ipſeque tibi præmia exſolvet, &c. ſuper cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia E. quæcunque vobis dixerint facere, facite.* Uti E. in Eccleſia Sacerdos etiam malus audiendus, quia Deus hunc audiri præcepit, & obedientiam etiam impio præſtitam remuneraturum promiſit: Ita etiam in Politia, ſi malus imperet, non tam reſpiciendum eſt, quid & à quo aliquid mandetur, ſed quid Deus à nobis fieri velit, qui ſuam ordinationem etiam in malo Principe non vio-

lari

lari præcepit. Veniet tempus, cum Deus etiam à malo Principe ſupplicium ſumet; tu quis es, qui occupas alienum negotium? *Noli præripere Chriſti Iudicis ordinem: illius eſt munus iſta diſcutere, non tuum. Tu ſervus ultimus, non Dominus es*, ibid. Chryſoſt.

Ad illud: *malum & vitium cum ſit* ἀταξία, *non eſt, ut poſſit ordinari*, & eſſe ſimul vitioſum. Reſpondemus 1. in genere. Ordinationem conſiderari dupliciter; vel ratione *efficientis*, quando ſcil. ordinamus, quæ ipſi fecimus: vel ratione *finis*, quando ordinamus ea ad bonum finem, quæ alii fecêre. Priori modo facilè concedimus, malum, ut eſt ἀταξία, nunquam à Deo ordinari; quo in ſenſu rectè diſputat Auguſtin. l. 1. de Ordine c.7. Poſteriori modo non repugnat illi, quod eſt ἄτακτον, ordinari. quo in ſenſu Auguſtin. dicit. l.11. de C.D. c.18. *Deum ordinem ſeculorum tanquam pulcherrimum carmen ex quibusdam quaſi antithetis honeſtare*. & l.14. de C.D. c.26. *Deo ſummè bono,*

crea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori, malarum autem relictori ac damnatori, utrarumq; ORDINATORI *non defuit utique conſilium.* Nolumus adducere venditionem Joſephi, quam Deus ordinavit ad bonum. Gen. 30. v. 20. ut & crucifixionem Chriſti ad ſalutem generis humani. Sit exemplum Sannherib Regis Aſſyriorum. Eſa. 10. v. 7. *Ipſe non ſic arbitrabitur* ſc. ſe tantum virgam eſſe Dei ad caſtigandum Judæos miſſam, ſed crudelitate & domiminandi cupidine plenus internecionem gentium meditabitur: ordinatione tamen divinâ fiet *virga furoris & baculus*, quo Deus utetur ad puniendos impios; v. 5. fiet *ſecuris*, quæ à Deo dirigetur ad hoſtes ſuos cædendos: v. 15. tandem cum *impleverit Dominus cuncta opera ſua &c. viſitabit ſuper fructum Magnifici cordis Regis Aſſur.* v. 12. En quomodo Deus crudelitatem Regum impiorum ordinet ſimul, & puniat. Confer hac de re Damaſceni octo rationes

l. 2.

l.2. O.F.c.31. *quare Deus ſinat homines peccare? Eſt* enim *hoc maximum divinæ providentiæ argumentum, non ſinere, ut vitium, quod ex voluntaria defectione ortum eſt, maneat inconducibile & inutile.* inquit Clem. Alexandr. l.11. Strom. τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. *Piis omnia cooperantur ad bonum.* Rom. 8. v.28. Fruſtra E. Miltonus putat, *malum, cum* ἀταξία *ſit, non poſſe ordinari, & eſſe ſimul vitioſum.* Neque ratio Miltoni addita aliquid evincit. *Hoc enim duo contraria ponit, taxin & ataxian.* Repetimus enim conditiones illas, quas Philoſophus 1. *Elench.* c. 5. requirit ſcil. ad ἀντίφασιν requiri, ut res conſideretur κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ, καὶ ὡσαύτως, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ *ſecundum idem, & ad idem, eodemque modo, & eodem tempore.* Non eſt abſurdum diverſo reſpectu ἀταξίαν & τάξιν in uno ſubjecto poſſe ſimul conſiſtere. Notum eſt, quod Logici dicunt, duo contraria poſſe eſſe in eodem ſubjecto in gradibus remiſsis: neque

hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

hoc repugnat etiam *privativè oppoſitis*, quale eſt *malum* & ἀταξία. Eæ enim privationes, quæ habent medium & componi poſſunt, quæ recipiunt magis, minus, & non ſunt totales, poſſunt vel miſceri vel ſimul eſſe: ut luminoſum & tenebroſum in crepuſculo. Clarius res ſeſe habet in rebus humanis. Homo *theologicè* conſideratus nũquam perfectè renovatur in hac vita; unà cum ſpiritu ſemper caro habitat, portamus theſaurum in vaſis fictilibus; etiam *moraliter* nulli virtus perfectè contigit: qua major pars vitæ atque ingenii ſtetit, eâ de homine judicandum. *Mucianus* apud Tacit. H. I. 10. 3. *luxuria, induſtria, comitate, arrogantia, malis bonisq; artibus mixtus.* Non E. abſurdum eſt, vitioſum & virtuoſum, ataxian & taxin in homine concurrere. Dilucidius tamen hoc oſtendimus in formationibus Rerumpublicarum. Nulla Respublica tam perfectè formata eſt, & ordinata, ut non ἀταξίας quædam ſemina ſtatim in ipſo ortu ſint inſita, quæ deinde ſe exſerunt

& in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

& in exitium Status adoleſcunt; quando incrementis conſumptis Reſpublica jam decreſcere incipit. Philoſophus 2.pol. celebratiſsimas Reſpublicas delineat & in ſingulis oſtendit, quomodo τάξις uniuscujusque prudentiſsimè inſtituta, tamen non ſit ſine aliqua ἀταξίας mixtura. Ipſa Roma exemplum eſto, quæ circa primordia naſcentis libertatis adeò malè temperata, ut poſtmodum nulla ingenia prudentum illi ataxiæ mederi potuerint; ſemperque plus querelarum, quam levamenti, irrito plerumque & præpoſtero conatu abſumptum. Optimatum potentia, & Plebis libertas, certamina Patrum & Populi odium, res malè ordinatæ, fecêre, ut civitas variis remediis fruſtrà excogitatis, tandem ad ultimum irruentibus mutationum tempeſtatibus uni conceſſerit. adeò ſcil. *nihil eſt ex omni—parte beatum.* Quid ſi jam principiis Miltonianis inſiſtere vellemus, tolleremus omnem poteſtatem ex omnibus Rebuspubl. quia nulla poteſtas (in ſenſu Miltoniano) tam perfectè

ctè ordinata eſt, ut non aliqua ἀταξία innexa ſit. Conſideremus tantum jurgia Populi Romani cum Patribus ob poteſtatem, quam utraque pars ad ſe trahere concupivit: aſpiciamus leges irreverentius habitas, inęquales magiſtratûs conceſsiones, populi tumultus, & obſervabimus poteſtatem, illa quotidiana quadam viciſsitudine domicilium mutaſſe; donec tandem creſcentibus cum magnitudine gentis odiis à concione ad campum devoluta in Victoris ſinu quievit. Non defuiſſet unicuique in talibus motibus anſa detrectandi obedientiam, quia poteſtas vel fraudibus Patrum, vel ferocia populi numero & potentia majoris rupta, non erat *ordinata & legitima.* E. neutri erat obediendum.

Tandem diſtinguimus inter ipſam *poteſtatem*, *modum adipiſcendi*, & *legitimum ejus uſum.* Ipſa *Poteſtas* eſt à Deo. *Modus adipiſcendi* aliquando eſt à Deo, quando legitimis mediis vel electione vel ſucceſsione quis aſcendit ad hoc faſtigium: aliquando non eſt à

eſt à Deo, quando potentia fulti ad ſe rapiunt rempubl. aut largitionibus vota emunt, aut aliis illicitis mediis viam ſibi parant. Ipſe *uſus* itidem aliquando eſt à Deo, cum poteſtate ſua Rex utitur ſecundum leges divinas; aliquando non eſt à Deo, cum contra divinas leges poteſtatem exercet, quo refert *Thomas* illud Pſalm. 2. v. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum* &c. Sit exemplum in Phyſicis de robore, corporis. Robur corporis eſt *bonum* Phyſicum, à Deo datum: ſive Maximinus aliquis eo utatur, adverſus hoſtes & ſuorum tutelam, ſive abutatur ad crudelitatem & ferociam. Imò nihil ferè nobis à Deo datum eſt, quod non in abuſum trahi poſsit à malis, quo in ſenſu etiam Sapientiſsimus Mortalium *omnia vanitatem* eſſe dixit Eccleſiaſt. 1. verſ. 2. *in c. 13. ad Rom.*

Quid prodeſt, quod non lædere poſſit idem?
Igne quid utilius, ſi quis tamen urere tecta

Comparet, audaces inſtruit illa manus.

Ovid. 2. Triſt. *Non ideo non ſunt iſta naturâ ſuâ bona, ſi vitio malè utentium nocent.* Senec. l. 5. nat. qq. c. ult. *Si* enim *beneficia naturæ utentium pravitate perpendimus, nihil non noſtro malo accepimus. Cui videre expedit? cui loqui? cui non vita tormentum eſt? nihil invenies tam manifeſtæ utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa.* Senec. ibid. Ipſæ ſcientiæ & artes, quomodo ad vanitatem rapiantur integris libris declaratum eſt; & de Rhetorica in ſpecie oſtendit. Quintil. l. 2. c. 16. Ipſam virtutem vel potiùs virtutis ſpeciem Critias & Alcibiades à Socrate didicerunt, ut his artibus ad Rembubl. & Dominatum viam ſibi ſternerent. Xenoph. 1. mem. Eodem modo de Poteſtate ſentiendum eſt, & omnino diſtinguenda eſt *ipſa poteſtas*, quæ bona, ab *illegitimo ejus exercitio* ſeu *uſu.*

Quo jure ſucceſſerint Tiberius & Nero.

P. *Neque enim Nero minus, quam Tiberius, artibus matris nihil ad ſe pertinens imperium occupave-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

paverat. Diſtinguendum eſt inter artes occultas, quibus jus obtentum eſt, & inter ipſum Jus. Concedimus quidem blandimentis precibusque matrum primum adoptatos Tiberium & Neronem in familiam Cæſarum: poſtquam autem adoptati fuerant, jam habebant prætextum juris. Sæpe quis precibus privatis legatum elicit, quod teſtamento ritè facto deinde jure petere poteſt. Tiberius publicè ab Auguſto conſtitutus eſt, *ne ſucceſſor in incerto* eſſet. Tacit. A. 3. 56. 3. Sive jam *Reipubl. cauſa.* ut Vellejus 2. 104. 1. & Suetonius in Tiberio 21. putat: ſive *ut comparatione deterrima gloriam ſibi quæreret*, ut apud Tacitum prudentiores putârunt, conſtitutus fuerit, obedientiæ vinculum non tollit. Conſtitutus eſt Imperator. Neque hoc jure contentus fuit Tiberius; acceſsit inſuper Senatus confirmatio. *Vna*, inquit Vellejus l. 2. c. 24. n. 2. *tamen veluti luctatio civitatis fuit pugnantis cum Cæſare: Senatus Populique Romani*, UT STATIONI PATER- *A. I. 10. 96.*

NÆ SUCCEDERET: *illius, ut potius æqualem civem, quam eminentem liceret agere Principem. Tandem magis ratione, quam honore victus eſt: cum quicquid tuendum non ſuſcepiſſet, periturum videret. Solique huic contigit, pæne diutius recuſare Principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnaverant.* Adulationem Velleii & acciſmum Tiberii non ignoramus ex Tac. A. I. cap.11. & 12. Sueton. Tiber. c.24. 25. Dion. l. 57. interim tamen Senatus publica acceſsit confirmatio, quæ ad obligandos ſubditorum animos ſufficiens erat, quorum non eſt abdita & ea, quæ inter aulæa & peripetasmata aguntur, diſcutere. Idem de *Nerone* dicendum, qui à Claudio adoptatus eſt: neque res privatim acta eſt, ſed *habita apud Senatum oratione:* à quo deinde *actæ Principi grates, exquiſitiore in Domitium adulatione. Rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſiret.* Hoc jure fultus, mortuo Claudio, primus ad cohortes proceſsit & *Imperator*

Tac. XII. 25. & 26. id. l. c. c.69.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

rator conſalutatus eſt. *Sententiam militum ſecuta Patrum conſulta, nec dubitatum eſt apud Provincias.* Atque hunc modum adoptandi ſecuti ſunt ſequentes Imperatores. Galba *ad morem Auguſti* provocat. Nerva adoptavit Traianum, de quo ſic Plin. Paneg. 6. *Confugit in ſinum tuum concuſſa Reſpubl. &c. Imploratus adoptione & accitus es, ut olim duces magni, à peregrinis externiſque bellis, ad opem Patriæ ferendam revocari ſolebant. Ita filius ac parens, uno eodemque momento, rem maximam invicem præſtitiſtis: ille tibi imperium dedit, tu illi reddidiſti.* Traianus moriens Adrianum adoptione vocavit ad Imperium. Hic Ælium Verum in ſpem Imperii & *Auguſtæ Majeſtatis hæreditatem.* Hoc mortuo adoptavit *ingruente triſtiſsima valetudine Arrium Antoninum, qui poſtea Pius dictus eſt; ſed ea demum lege, ut ille ſibi duos adoptaret Annium Verum & Marcum Antoninum.* Heliogabalus Alexandrum *adoptavit* & Καίσαρα ἀπέδειξε *Cæſarem declaravit.*

Tac. A. I. 18. 2.

Spartiani. in Vero. p. 14. id. in Adriã.

Herodian. libr. V. 7.

MILT. *Adſtringit Reges Præceptum hoc* (ſc. qui obſiſtunt poteſtati, Dei ordinationi obſiſtunt) *qui legibus & Senatui obſiſtunt.*

An Reges ſubjiciantur Legibus & Senatui?

I. Præterea, quæ ſup. p. 22. diximus h. l. addimus tantum Philoſophum 3. pol. 7. qui τὸ Κύριον *ſupremam autoritatem ſive Principatum* vel penes multitudinem eſſe, vel penes divites, vel viros bonos, ἢ τὸν βέλτιστον ἕνα πάντων UNUM *optimum omnium dicit.* Non igitur in Monarchia τὸ κύριον penes leges vel Senatum reperitur, ſed in REGE, à quo omnia & leges & Senatus dependent. *Reges in ipſos imperium eſt Iovis.*

Conjungimus locum 4. pol. 14. Κύριον eſſe τὸ βουλευόμενον περὶ νόμων. *Summam poteſtatem deliberare de Lege.* Si autem legum autoritas à ſumma poteſtate dependet, fruſtra his dicitur Princeps ſubjici. Aut enim leges feruntur in eum à ſuperioribus, aut à ſubditis. Non a ſuperiore, quia nullum agnoſcit: apud Caſiodorum Rex. *Alteri ſubdi non poſſumus, quia judices non habemus.* non à ſub-

in Flaminio.

ditis,

ditis, quia illorum eſt leges accipere, non dare. Duces ait Plutarchus, οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, *imperium habere non ex legibus modo, ſed & in leges.* *l. 3. ſive Thalia.* Otanes apud Herodotum Monarchicum imperium deſcribit, ἀνευθύνως *facere quæ velit, ita ut aliis rationem non reddat*: cum in Democratia *Magiſtratus adminiſtratorum rationem reddere cogatur.* Eodem modo Senatus juriſdictione utitur precaria & dependente à ſuprema poteſtate, quæ in Monarchia eſt *penes unum.* 2. Excutiamus pauliſper tempora Paulina. *lib. 53.* Auguſtus apud Dionem cum ſe velle Imperium deponere ſimulaſſet, effecit, ut eidem etiam à Senatu Populoque confirmaretur. Erat quidem τῷ ἔργῳ καὶ πάντων καὶ διὰ παντὸς ὁ Καῖσαρ unus in omnibus rebus plenum habens imperium uti ante; ſic & poſtea, diviſis officiis & Provinciis, cum *& pecuniam & milites in ſua haberet poteſtate*: verum, ut ſuſpicionem affectati Regni à ſe amoliretur, maluit his artibus Populi Senatuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

conſenſum elicere, quo facto τε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη, *omne Populi Senatuſque imperium ad Auguſtum rediit.*

Tac. A. I. 15. I. 2. Tiberius quidem ſub ſpecie honoris è *campo comitia ad Patres tranſtulit, populoque ademit*: revera tamen, quia facilius erat, paucis dominari, eosque vel ingentium ſpe præmiorum, vel pœnarum acerbitate in officio continere; cum populum univerſum ad Gemonias trahere non potuiſſet. Ipſe itaque Conſules vel majores Magiſtratus creavit; imo aliquando florentibus *Seiani* rebus, non

Tac. A. IV. 68. 3. niſi per ipſum *ad Conſulatum aditus*. Dio. lib. 58. p. 276. conſuetudinem Tiberii deſcribit his verbis. *Domitius toto anno geſſit magiſtratum: habebat enim in matrimonio Agrippinam: in locum alterius alii alius ſuffecti* ὥς που τῷ Τιβερίῳ ἔδοξε *pro arbitrio Tiberii; aliis longius, aliis brevius tempus ejus honoris conſtituentis: idque ipſum aliis contrahentis, aliis prorogantis. Nam etiamſi quem ad*

totum

totum annum Conſulem creaſſet, mox eo depoſito, alium iterumque alium ſubinde ſubrogabat, eo modo. Conſulatus fere toto imperii ejus tempore habitus. Eorum verò qui cæteros magiſtratus peterent electos, quot videbatur in ſenatum miſit, alios commendans (iique omnium ſuffragia auferebant) &c. Et quid multis opus eſt: ille *mos in Acta Imperatoris Calendis Ianuariis jurandi* ſatis indicat, Imperatores non fuiſſe ſub legibus & Senatu: præcipuè ſub Tiberio, ſub quo antiquato veteri ritu, quo, *uno praeunte, reliqui aſſenſerant, unusquisque ſeorſim fidem dedit.* l.c. Succedat jam Cajus Caligula, ſub cujus imperio omni libertate agendi nudatus erat Senatus, vix precariam vitam ducebat. *Coſs. oblitis de natali ſuo edicere, abrogavit Magiſtratum, fuitque per triduum ſine ſumma poteſtate* (ô miſeram ſummam poteſtatem!) *Reſpubl.* Suetonius in Calig. cap. 26. *Lautiore convivio effuſus ſubito in cachinnos,* Coss. *qui juxta cubabant, quid nam rideret blandè*

quærentibus: Quid, inquit, niſi uno meo nutu jugulari utrumque veſtrum poſſe? id. cap. 32. *Quendam ſuorum equorum*, Incitatum *nomine, ad cœnam quoque adhibebat, & ei in auro hordeum apponebat, & in poculis aureis vinum propinabat, Conſulemque ſe eum creaturum pollicebatur: facturus, ſi diutius vixiſſet.* Dio l.59. p.747 Sequitur Claudius, ſub quo ſcriptam Pauli epiſtolam putat Miltonus, *is cuncta legum & Magiſtratuum munia in ſe traxit.* Tacit. A.11. 5. 1. adde Meſſallinæ, *Libertorumque vel ſtudio vel libidine honores, exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt.* Sueton. Claud.29. Neronis tempore ad deteſtandas adulationes prolapſus Senatus, quod *ultimum erat in ſervitute*, peregit, *quoties fugas ac cædes juſſit Princeps, totiens grates Deis actas. quæque rerum ſecundarum olim, tum publicæ cladis inſignia fuêre.* Tac. A.14. 64. 5. Ob Matricidium patratum *miro certamine procerum decernuntur ſupplicationes apud omnia pulvi-*

Tac. Agric. 3. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

naria &c. l.c. c.12. Cum Thraſeas damnatus fuerat, *aditum ſenatus globus togatorum obſederat, non occultis gladiis, diſperſique per fora & baſilicas cunei militares, inter quorum aſpectus & minas ingreſſi curiam Senatores.* Tac. A. 16. 27. 2. Ipſe *Conſulatum in ſenos plerumque menſes dedit.* Sueton. Ner. c.18. Quæ omnia illuc collimant, ut oſtendamus, tempore Pauli penes Senatum nullum jus, ſed fœdam ſervitutem remanſiſſe, omnia ab Imperatore dependiſſe. 3. ex ſacris, ſi reſpondere vellemus, adduceremus illud Chriſti, Luc. 22. v. 25. *Reges gentium dominantur.* Affectabant Jacobus & Johannes principatum in alios; ſed Chriſtus reſpondet, *illam autoritatem & Dominium illud in alios, Regum eſſe* & quidem *Gentium:* quia tum temporis neque apud Judæos, neque apud Chriſtianos erat aliquod Regnum. Quod ſi autem τὸ κυριεύειν, ἐξουσιάζειν, Luc. 22. v. 25. & τὸ ἄρχειν Marc. 10 v. 42. penes Reges eſt, tunc non eſt penes Leges & Senatum vel Populum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Huc etiam faciunt illæ formulæ in SS.Lit. *Super me*. Deut. 17. v. 14. *ſuper populum*. 1. Sam 8. v. 4. *ſuper hæreditatem Domini, ſuper totum Iſraelem &c.* Quod ſi Rex SUPER totum Populum. E. & ſuper Senatum: vel ad minimum nihil eſt in Regno Rege ſuperius. Huc pertinet etiam alter modus loquendi. Regna MIHI dedit Dominus 2. Paral. 36. v. ult. Regnum TIBI dedit Dan. 2. v. 3. &c. E. non dependens à Senatu. Sufficiant hæc, quibus oſtendere voluimus, *Reges non ſubiici vel legibus vel Senatui*, habereque *poteſtatem legibus Senatuque ſuperiorem*; cui, ſi quis reſiſtat, *divinæ ordinationi reſiſtere*. Neque movemur verbis ſeqq. quando quærit Miltonus. *At vero, qui poteſtati vitioſæ, vel poteſtatis non vitioſæ corruptori & everſori obſiſtit, an is Dei ordinationi obſiſtit? Sanus, credo, non dixeris.* Sani ſumus, & tamen dicimus. *Qui poteſtatis non vitioſæ corruptori & everſori obſiſtit, is Dei ordinationi obſiſtit.* Hero etiam difficili, id eſt, *poteſtatis non vitio-*

vitioſæ corruptori & everſori parendum eſſe, Dei eſt ordinatio, quamvis non propriè Magiſtratus ſive Herus dicatur *poteſtatis non vitioſæ everſor & corruptor:* neque enim gladium evertere vel corrumpere dicatur, qui malé gladio utitur.

MILT. *Tollit omnem dubitationem ſequens verſiculus, de legitima tantum poteſtate Apoſtolum hic loqui. &c. ſc. quæ non eſt timori bonis operibus, ſed malis? à qua boni laudem adipiſcentur. &c.* Verum ſemper diſtinguendum eſt inter *ipſam poteſtatem & poteſtate abutentem Principem.* Etiam Neronis poteſtas erat ordinata ad pœnam malorum, & laudem bonorum. Quod v. deinde Principes mali ordinem hunc invertant, id non tollit obedientiæ vinculum. Sunt enim & illa imperia à Deo, licet non regnent ex Deo, quatenus ab ordine divinitus conſtituto recedunt. Saulis & Ieroboami imperium erat à Deo, neque abutentibus ſua poteſtate obedientiæ vinculum ruptum legimus. Nihil E.

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

concludit Miltonus, ſi ita argumentatur: *Illi poteſtati tantum obtemperandum, quæ ordinata eſt ad pœnam malorum & laudem bonorum. Neroniana poteſtas non eſt ordinata. E. Neronianæ poteſtati non eſt tantum obtemperandum.* Nam neque major propoſitio eſt Apoſtoli, qui non excluſivè, *ſed in genere ſaltem loquitur de officio ipſo, ejusque fine* ordinario; non de abutente officio ſibi commiſſo, quod inter accidentaria & minus frequentia habendum, quæ ordinem divinitus conſtitutum non tollunt. Plura ejusmodi monita habet Apoſtolus de officio Patris, Mariti, Heri, neque tamen illud vult; rumpendum obedientię vinculum, ſi Pater, Maritus, Herus, abutantur ſua poteſtate. Ratio, quia etiam in hac ipſa *ſubjectione injuriarum tolerantia* includitur. *Non modo reticere homines Parentum injurias, ſed etiam æquo animo ferre oportet.* Cic. pro Cluentio: quo ſimili etiam *Lyſimachus magno animo* REGIS *velut Parentis contumeliam tulit.* Juſtinus XV. 3. 10. Eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

dem modo ſi omnes obligationes, omnia vincula, quibus publica & privata cohærent, reſcindenda eſſent ideo, quia finis *actu non obtinetur*, quid aliud ſequeretur, quam feritas & confuſio omnium rerum? Conjugii finis eſt, *Creſcite*. Ergone Conjugii ſtatim pacta diſſuenda in ſterilibus? Belli finis vel vindicta, vel pax & ſecuritas; prælii victoria. Ergone militibus licebit ſacramento ſe exſolvere, ſi finem non vident attingi? Eadem quoque in Judiciis occurrunt. Nam & Prætor tenetur, ex juſtitiæ regulis jus dicere: interim ſi ex cerebroſa æquitate & privato arbitrio ſententiam proferat; jus facit, neque deſinit autoritate publica defungi. Eadem occurrunt in privatorum pactis & contractibus. Quis enim ordo in familia, ſi juniores, ſervi, ancillæ, ſe opponerent Domino? ſi Medico ægrotus, ſi finem obtineri non ſtatim videt? ſi Navarcho plebs nautica? Uti enim Cato apud Livium l. 34. *Nulla lex ſatis commoda eſt, id modo quæritur, ſi majori parti & in ſumma prodeſt:* neque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

que ſtatim vim ſuam amittit, ſi uni vel alteri non proſit: ita etiam Regia poteſtas ordinata ad ſubditorum bonum eos obligat; neque ſtatim exſpirat, licet unus vel alter duriùs ea poteſtate utatur. Manet ratio in ſua generalitate, cui ſpecialia etiam ſubiicienda ſunt. 2. Si minorem excutiamus. *At Neroniana poteſtas non erat ordinata.* & illa falſa eſt. Nero adoptione Claudii, non per vim obtinuit imperium, & ita potiebatur poteſtate à Deo conceſſa, quam etiam primo quinquennio laudabiliter exercuit. Quamvis verò poſtea degenerârit, illud tamen non tollit poteſtatem divinitùs conceſſam. Uti enim olim in V. T. ſacrificia piorum Deo probabantur, licet impiorum Sacerdotum manibus tractata; ita etiam poteſtas regnandi pia eſt, etiam in impii Regis manibus. 3. Neq; illud in univerſum verũ eſt, ſub Tyrannis (in exercitio) *bonos laudem non adipiſci, vel malos non puniri.* Sub Tiberio *Piſo* floruit, *viginti per annos pariter probatus.* Tac. A. 6.11.5. Manius Lepidus A. 6.10.3.

æqua-

æquabili autoritate & gravitate apud Tiberium viguit. Sub eodem *decrevêre Patres* Camillo *triumphalia inſignia, quod illi ob modeſtiam vitæ impune fuit.* Sub Nerone, *L. Voluſius egregia fama conceſſit: cui tres & nonaginta anni ſpatium vivendi, præcipuæq; opes bonis artibus, inoffenſa tot imperatorum malitia* Idem A. XIII. 30.4. Memmius Regulus, *autoritate, fama, conſtantia clarus.* Sub Domitiano, Agricola ſuusque gener Tacitus, qui pulchrè notat Agric. 42. 7. quomodo etiam *ſub malis Principibus magni viri eſſe, & per obſequium ac modeſtiam ad laudem excedere queant.* Solent enim Tyranni plerumque *eminentes* tantum *virtutes* odiſſe; eosque tantum tollere, quos illuſtres ſuæque potentiæ imminentes timere coguntur; reliquos à quibus nullum periculum, ſi modeſtia & vigor adſit, etiam honorare & laudare, & evehere. Ita Tacitus ipſe in aula Domitiani floruit, à quo *dignitas* ſua *longius provecta eſt,* H. 1.1,5. Falluntur enim qui putant, Tyran-

Tac. A. II. 52. 6.

Tac. A. XIV. 47. 1. 2.

Tac. A. I. 80. 4.

Tyrannidem omnẽ juſtitiam tollere. Philoſophus 5.pol.11. inter artes Tyrannidis temperatæ expreſsè ponit, *videri non difficilem, ſed gravem: talem præterea, ut adeuntes non metuant, ſed vereantur.* item *excellentes ita præmio afficere, ut ne à civibus liberis quidem majora ſe unquam conſecutoros putent. Et præmia quidem talia ipſum tribuere per ſe: pœnas quoque per alios magiſtratus & judices.* En etiam ſub Tyrannidis *titulo* præmia bonorum & pœnas malorum? Simonides Hieroni apud Xenophontem ſimile conſilium ſuppeditat. Concludimus verbis Philoſophi, qui artes tyrannicas ad hunc ſcopum refert. *Scopus perſpicuus eſt debere civibus videri non tyrannicum, ſed curatorem & regium &c. Præterea optimatum uti congreſſibus, & multitudinem colere aut demulcere.* Idem pleroſque tyrannos factitare ſolitos, teſtatur gravis autor Polyb. l. 6. hiſt. Piſiſtratus *nullis magiſtratibus perturbatis, neque legibus mutatis, ſed in præſenti ſtatu ma-*

In Hierone.

nens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

nens urbem BENE *ac* PULCHRE *exornavit*. Herodot. l. 1. Hipparchus Piſiſt. fil. *in nullis rebus multitudini gravis* EXTRA NOXAM *ſe præſtabat. Longiſſimè enim hi Tyranni* VIRTUTI PRUDENTIÆQUE *incubuere*. Ex quibus omnibus deducimus, etiam *in ipſa Tyrannide* dari *ordinationem ad pœnam malorum & præmium bonorum*. Oſtendimus id ipſum exemplo Tiberii, & Neronis ſub quibus vixit & ſcripſit Paulus. Nam vix negabitur, *Provincias* tolerabiliter, à multis etiam *laudabiliter* adminiſtratas. Si quis avariùs eas habuit, aut duriùs tractavit, licebat iis Procuratores apud Senatum accuſare, & Tiberius ipſe *poſtulata provinciarum ad disquiſitionem Patrum miſit*. Ita *Lucilius Capito accuſante Provincia cauſam dixit, & damnatus eſt*: contra Camillus Proconſul Africæ ob *modeſtiam vitæ* commendatur. In ipſa Roma pleraque Tiberius ad Senatum vocavit, in quo multi boni, judicia circa vulgares & plebejos homines, ut & in talium cauſis foren-

Thucyd. l. 6.

Tac. A. III. 60. 1. A. IV. 15. 3. A. II. 52. 6.

forenſibus, plerumque incorrupta.
Tac. A. VI. 26. 1. Floruit tunc temporis Coccejus Nerva, *omnis divini humanique juris ſciens:* floruerunt alia adhuc ab Auguſto decora ingenia. Cuncta Tiberius *per Conſules incipiebat,* Tac. A. l. 7. Erat *adhuc frequens Senatoribus, ſi quid è Republ. crederent loco, ſententiæ promere.* A. 2. 33.

Tac. A. XVI. 23. 1. Sub Nerone BAREUS SORANUS Proconſul Aſiæ commendatur ob *juſtitiam & induſtriam*, quæ omnino & præmium bonorum & pœnam malorum includit. CORBULO Orienti Præfectus deinde Syriæ, Virtute, ſapientia & experientia Militari illuſtris Vir. contra Vipſanius ob *Sardiniam avarè habitam damnatus.* Tac. A. 13. 30. ſpectacula in provinciis cohibita, ne ſubjecti pecuniis contribuendis affligerentur. Tac. A. XIII. 31. 4. Coſſutianus Capito à Cilicibus accuſatus & repetundarum damnatus eſt. id. c. 33. 2. & Tarquinius Priſcus A. 14. 46. Ipſe Nero immodeſtiam Publicanorum & exactorum avaritiam cohibuit. 13. 50. 1. & quamvis Romæ tandem omni li-

bidnis

bidinis & crudelitatis genere graſſaretur, tamen *in remotis municipiis ſevêra adhuc & antiqui moris Italia fuit.*

Cadunt E. & illa, quæ infert. *Quæ autem poteſtates, qui Magiſtratus contraria his facit, neque illa, neque hic à Deo propriè ordinatus eſt.* Nam ſemper diſtinguendum inter *poteſtatem ipſam & vitia perſonarum*, quibus hæc poteſtas commiſſa. Et Saul & Jeroboam à Deo ordinatus eſt, uterque tamen contraria fecit neque reſciſſum fuit obedientiæ vinculum. Patria poteſtas à DEO ordinata eſt, & Pater ad regendam domum ordinatus eſt à Deo, etiamſi Pater contraria faciat. 2. ſi hic eſſet ſenſus bonis tantùm Magiſtratibus parendum eſſe, tum non opus habuiſſet Paulus, ut tam anxiè Romanis ſubjectionem commendaret. *Quis enim bonis magiſtratibus non libenter obtemperat?* Imò ſtolidi fuiſſent Chriſtiani, *ferarum tergis contecti & laniatu canum interfecti, crucibus affixi, flammati, &, ubi defeciſſet dies, in uſum noctur-*

Tac. A. XIV. 5. 1.

Tac. A. XV. 48. 7.

nocturni luminis exuſti; ſi putaſſent, Paulum obedientiam ſubditorum his verbis tantum ad laudabile & legitimum regimen reſtrictam velle; quod non inſurrexerint adverſus Neronem, & vim vi repulerint: præcipuè cum *ingens* fuerit *multitudo*.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 C 32